

Nat. eccl.

DE
ROMANI PONTIFICIS
IN FERENDA INFRA HAERESIM CENSURA
INFALLIBILI JUDICIO.

—
DISSSERTATIO INAUGURALIS.

QUAM AD GRADUM


Dotoris Sacre Theologie
IN UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI
RITE CONSEQUENDUM.


CONSCRIPSIT

JOHANNES GERARDUS WILLIBORDUS VERMEULEN.

TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS P. W. VAN DE WEIJER.
MDCCCLXXIV.

H. oct.
1520






H. H. H. H.
J : 1520

DE ROMANI PONTIFICIS

IN FERENDA INFRA HAERESIM CENSURA

INFALLIBILI JUDICIO.



DE ROMANI PONTIFICIS

IN FERENDA INFRA HAERESIM CENSURA

INFALLIBILI JUDICIO.

DISSESSATIO INAUGURALIS,

QUAM AD GRADUM

Doctoris Sacrae Theologie

IN UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

RITE CONSEQUENDUM,

CONSCRIPSIT

JOHANNES GERARDUS WILLIBORDUS VERMEULEN.



TRAJECTI AD RHENUM,

TYPIS P. W. VAN DE WEIJER.

MDCCCLXXIV.



ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
ANDREAE IGNATIO,

ULTRAJECTENSIS ECCLESIAE ARCHIPRAESULI,

SANCTISSIMI D. N. PRAELATO DOMESTICO,

SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTI,

LEONIS NEERLANDICI ORDINIS EQUITI,


SCIENTIARUM ET ARTIUM ECCLESIASTICARUM IN NOSTRA
PATRIA INSTAURATORI, CUSTODI MUNIFICENTISSIMO,

INTER PRIMARIOS SACROSANCTI VATICANI CONCILII PATRES, DOGMA-
TICAЕ REI PRAEPOSITOS, FIDEI CATHOLICAE DE SUMMI
PONTIFICIS INFALLIBILITATE STRENUO DEFENSORI,

HANC SUAM DE ILLIUS PRIVILEGII EXTENSIONE LUCUBRATIONEM,
DEVOTISSIMO ET OB TOT ET TANTA BENEFICIA PERGRATO
ANIMO,
IN PERENNE OBSERVANTIAE FILIALIS TESTIMONIUM,

D. D. D.

AUCTOR.



P R O E M I U M.

Nostris tristissimis temporibus, cum portae inferi, hostes quippe omni fallacie et astutiae genere prae-potentes, in Ecclesiam Christi, maxime vero in Caput et Petram Ejus solidissimam, coactis undique armis, impingunt, Auctor et Consummator Fidei nostrae, qui omnia disponit fortiter atque suaviter, providentia singulari, ut portae inferi non praevaleant, et ad divinae doctrinae integritatem servandam et propagan-dam, clariore luce in oculis omnium posuit authen-ticum successorum Petri magisterium, a quo pendet obedientia Fidei, et per quod continetur omnium Ecclesiarum Unitas. Assistentia enim et directione Sancti Spiritus, jugiter cum Ecclesia manentis, per solemnem Sacrosancti Vaticani Oecumenici Concilii

definitionem accepit „evidentiam , lucem , distinctio-
nem” 1) vetustissimum fidei dogma — Romanum
Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum
omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere
fungens, pro supra sua Apostolica Auctoritate
doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesie
tenendam esse definit; per assistentiam divinam ipsi
in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere,
qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda
doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit;
ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex
sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles
esse. (Constit. I. de Ecclesia Christi c. IV).

In controversiis tunc temporis exortis, multi, ut
semper fit, alii ex malo intellecto verborum sensu,
alii vero odio obcaecati et ut facilius dogma illud
falsitatis et absurditatis arguerent, imo statui civili
perniciosum insimularent, sibi finxerunt infallibilitatis
ideam, seu potius commentum, ex quo conclusiones
poterant eruere, quod, data infallibilitate, Romano
Pontifici in posterum omnia licent, et ille, quidquid
voluerit, ut Ecclesiae dogma fidelibus obtrudere posset.
Has exaggeratas notiones exponere supervacaneum
videtur, quum et omnium Theologorum expositiones

1) S. Vine. Lerin. Commonit. 37.

eas primo aspectu prorsus falsas demonstrant et varia scripta vel a Sede probata 1) vel ab Ea ipsa emanata 2) eas solidissime refutant.

Sed ex altera parte non deerant, inter quos homines ingenii caeteroquin optime catholici, sed nimis aequo suis adversariis indulgentes, qui infallibilitatem Romani Pontificis nimis coarctare videbantur intra limites angustiores, nempe eam tantummodo se extendere dicentes ad condemnandas haereses strictissime tales, seu ad definiendas solas veritates revelatas, quae ipsum depositum Fidei constituunt et *fide divina* credi debent. Negant illi, Romanum Pontificem infallibilitatis charismate donatum esse in iis, quae simpliciter revelata non sunt, sed tamen cum iis intime cohaerent et necessaria sunt ad custodiendum totum fidei depositum. Proinde propositionibus a Summo Pontifice solemniter reprobatis, ut temerariis, scandalosis, erroneis et caeteris censuris, quae communi nomine vocantur censurae inferiores sc. haeresi, infallibiliter competere inustam qualitatem, impune negari posset. Quare, cum mihi Superiorum beneficio gradu Doctoris insigniri

1) Literae Episcoporum Helvetiae a Pio IX. expresse landatae.

2) Literae Card. Antonelli ad Nuntium Paris. in responsum ad comitem Daru 19 Mart. 1870.

contigerit, indeque de more aliquid in disciplina Theologica conscribendum esset, in mentem venit, non absque omni utilitate fore de hac materia pauca disserenda. Scio equidem inveniri qui controversiam hanc nostro tempore inutilem dicant, cum omnes passim catholici Romano Pontifici, etiam inferiori censura sententiam aliquam perstringenti, saltem externe obedient, — imo inopportunam et perniciosa, addentem afflictionem afflito, extinguentem scintillam fumigantem, quia illis, qui nunc dogma Infallibilitatis, reluctanti licet animo, acceperunt, novum onus imponi videtur. Sed, sicut his rationibus et prorsus similibus catholici scriptores non moti sunt, ne ante Vaticanam Synodus de Infallibilitatis dogmate scriberent, nec Patres Ipsi, Spiritu Sancto illustrati, qui scit momenta et tempora, ne illud statuerent, eventus quoque monstravit, omnes viros bene catholicos non reluctantibus sed summa fidei obedientia et gudio illud recepisse. Quare hae rationes plane futiliores sunt, quam ut me a proposito de extensione Infallibilitatis scribendi dimoveant.

Econtra hoc me impellit, quod pravus erroris spiritus nostra aetate non tam curam habet de rebus stricte theologicis, sed libentius se in sphaera philosophica, politico-historica ad quaestiones, saepe saepius Fidei arctissime connexas, convertit. In illis disciplinis varii

errores in diem pullulant; ut videmus in Syllabo, qui „*praecipios aetatis nostrae errores*” continet et quorum maxima pars ex illis principiis politicis et philosophicis propugnata est. Quare periculosissima et exitiosa ista sententia Ecclesiam inermem relinqueret contra istas doctrinas, quae saepe saepius venenum occultum sed perniciosius et longius fundunt, quam ipsa aperta haeresis. Haec enim nonnisi volentes, illae vero et prudentiores nonnunquam fallunt. Itaque contra illam falsam de Summi Pontificis in definienda doctrina de fide vel moribus Auctoritate opinionem, paucis conabimur explicare veram hucusque a Theologis communis consensu traditam de Extensione illius praerogativa, qua Divi Petri successores fideles sibi commissos pascent et fratres confirming in Ecclesia, super illam Petram, aedificata.

C A P U T I.

De Infallibilitate brevis praenotatio.

Christus Dominus, verus Deus de Deo vero, Lumen de Lumine, cui omnia aperta sunt et nihil occultum, Spiritum suum sanctum, qui doceret omnia et suggesteret omnia, dedit Ecclesiae suae jugiter in aeternum permanensurum. Dedit Illum, ut salutiferum opus suum perenne redderet et, remota hominum fallacium doctrina mutabili, fideles non omni ventu moverentur, sed vinculo Fidei in Unitate illa summa et exemplari, qua Ipse Filius unum est cum suo coelesti Patre, continerentur. En finis, ratio, ob quam dedit Ecclesiae suae Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi. Non cuique enim fidelium menti, nescio qua inspiratione privata, Spiritus inest ad discernendum

salutaris et coelestis pabuli eloquium a profanis vocum novitatibus, sed pascua noxia segregabit a grege Pastor ille, qui in unione inseparabili et necessario cum caeteris Episcopis, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, pascet agnos et oves sibi traditos. Ex quibus jam prima fronte patet, quam insulse et stolide blasphemant, qui vindicare sibi Infallibilitatem solius Dei attributum sibi arrogare et se facere Deum calumniatur: cum voluntate Christi organon constituta Spiritus sancti, non ex sese sed Spiritus illius, qui Ipse est Deus et causa formalis divinitus in terris fundatae Ecclesiae, assistentia, Auctoritas Suprema et Universalis ab errore immunis est in definienda, explicanda et tuenda illa doctrina, quam Ipse Christus Apostolis et eorum successoribus tradidit. Sed quoque longe a veritatis tramite aberrare eos, qui autumant in cuiuscumque scientiae disciplina, in omni civilis et politici status commercio, judicium suum interponere et subditis suis illud cum maximo aliorum periculo tenendum et sequendum edicere posse, aperta luce ex illis monstratur. Christus enim, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum, illud concessit et quidem in eum finem, ut vinculo fidei Christiani continentur, ut Doctores divinitus instituti nova erroris commenta repellerent, vetera vero et semper credita et in vetustissimo fidei deposito contenta, adjuvante

suo auxilio Spiritu Veritatis, custodirent. Non ergo judicat Ecclesia de rebus in deposito sibi commisso non contentis nec ad illud pertinentibus. Sed illa infallibilitas, quam sibi, Scripturis et Traditione testantibus, adscribit Ecclesia, est illud charisma, quo tradita a Christo doctrina de fide vel moribus per assistantiam Spiritus Sancti ab omni errore immunis praeservatur. Quae inerrantia duplex distingui solet, nempe passiva et activa. *Passiva* illa vocatur, qua in sua universitate Ecclesia eidem, quam tradidit Christus, fidei adhaeret; est ergo majoris numeri Christi fidelium consensus in doctrina a Divino Salvatore praedicata, et a minimo errore immaculata fides.

Causa vero hujus totius Ecclesiae consensus est infallibilitas *activa* seu Ecclesiae docentis charisma, quo, Spiritu Sancto assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodit et fideliter exponit (Vat. Syn. Const. 1 de Ecclesia c. IV).

Huic notioni breviter immoremur, ut inde clarior fiat postea sequentis argumentationis vis et ratio, quae maxime e bene perspecta rei natura et notionis vera expositione dependent.

1º. Ergo : *Ecclesiae docentis charisma.*

Dixi attributum esse *Ecclesiae docentis*, id est, coetus episcoporum simul cum Romano Pontifice. Nec laici,

nec clerici, soli Episcopi habentes jurisdictionem ordinariam in sua dioecesi 1) jure divino testes, judices et magistri fidei sunt. Testantur quidem proponendis fidei veritatibus, judicant dirimendis controversiis fidem attingentibus, magisterii vero munus obeunt viva voce et praxi fideles instruendo eosque veluti manuducendo ad aeternae salutis iter capessendum. Ecclesia enim hanc rem eamdem, ratione respectus solummodo diversam, non tantum solemniter in unum locum conciliariter *congregata* sed etiam per orbem universum *dispersa* exhibet; utroque modo Ecclesiam docentem constituunt et privilegio infallibilitatis gaudent. Non tamen singuli illi episcopi, (quia singuli non succedunt Apostolis in munere docendi totam Ecclesiam), dote infallibilitatis gaudent, sed in communi quatenus uniti Romano Pontifici, visibili universae Ecclesiae Capiti, sunt Ecclesia docens. Solius enim Apostolorum Principis Petri, in successoribus suis semper permansuri, erat magisterio non extraordinario ipsique personali tantum sed ordinario authentice docere Universam Ecclesiam. Quare

1) Quaestionem inter Theologos agitamat de Episcopis titularibus, Ecclesiam suam *in partibus infidelium* existentem actu non regentibus: an jure divino quoque illis id competit, D. N. Pius P. IX diremit, eis concedendo assistere Concilio Vaticano non vero eos *vocando*.

illis Pastoribus divinae promissiones, quod maneret cum eis in consummationem saeculi Christus, Ejusque divinus Spiritus doceret omnia, quae mandaverat illis, non factae sunt nisi in quantum cohaerentes essent cum ejus in terris constituto Vicario, obedientes Visibili Ecclesiae capiti, Petro scilicet et in Ejus Cathedra Successoribus. Sed cum Ecclesia Romana, centro Unitatis, necessario nexu semper Ecclesia omnis hujusque Pastores conjunguntur, quia virtute inhaerentis Sancti Spiritus corpus Christi mysticum semper unum manet unitate perfecta, nullaque disjunctio vel separatio membra inter et caput et membra inter se possibilis est; solveret enim Jesum (Joan. IV. 3) solvendo Ejus Corpus, destruendo nexus inter Vicarium, Christum in terris repraesentantem, caput visibile Ecclesiae et suam Ecclesiam, nam „sicuti unus homo caput et corpus, [sic] unus homo Christus et Ecclesia vir perfectus.”
S. Aug. in Ps. XVIII.

2º. Charisma. Est enim beneficium gratis a Christo Domino pro sua benevolentia Ecclesiae collatum, quod tamen ipsum solum nullius pretii est cuique individuo, qui illius potitur, quatenus interiorum sanctitatem per se non constituens nec conferens (I Corinth. XIII. 2). Et quamquam scimus et credimus, Ecclesiam esse sanctam, etiam in eo, quod major membrorum pars est

sancta, tamen vi hujus inerrantiae subjecti hujus dotis non sancti sunt, nec minus infallibilitas peccandi possibilitatem aufert. Sed tamen, sicut omnis „datur manifestatio Spiritus ad utilitatem” (I Corinth. XII.) sic praeprimis hoc charisma in maximum commodum et spiritualem utilitatem datum est. Christus enim „*dedit pastores et doctores.... in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei,* et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut jam non simus *parvuli fluctuantes, et circumferamus omni ventu doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum, per omnem juncturam..... ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant *in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei.*” (Eph. IV.)

3o. Quo, assistente Spiritu Sancto.

Licet enim Ecclesiae causa formalis sint omnes Trinitatis personae, non omnes tamen eodem modo. Sic non eadem ratione hujus charismatis donatio aliis Divinitatis personis sed peculiari modo Spiritui Sancto varietas donorum tribuenda est, qua omnia membra in

unum corpus compactum et connexum confluunt. Nam Spiritus Veritatis a Christo promissus, in aeternum nobiscum mansurus, qui doceret omnia, Ille est, quo vivificante, Ecclesia vivit.

Non tamen ut gratia divina praevenit, excitat, operatur vel cooperatur in nobis ad merita operibus consequenda, aut tanquam qualitas aliqua animae nostrae impressa est et inhaeret, ita infallibilitas in cordibus Pastorum per Spiritum Sanctum diffusa est et cum iis ad definiendum concurrit. Sed assistentia specialis providentia est Spiritus Sancti, quae Ecclesiam docentem de rebus ad religionem pertinentibus ab errore praeservat. Quare essentialis tantum conditio infallibilitatis *negativa actio* dici potest quum positiva (nempe excitatio, impulsus, concursus ad definitionem faciendam et in formula conficienda) non requiritur. Haec tamen ita non accepta volumus, quasi Ecclesia tali Dei auxilio non adjuvatur, sed tantum illam actionem non essentialem infallibilitatis notam constituere dicimus. Nam si bonum Ecclesiae necessario postulat, ut aliquod dogma contra petulantes haeresis conatus ut tale definiatur, semper datur auxilium excitans, in quantum necesse est, utpote in indefectibilitatis dote, a Christo suae Ecclesiae promissa, contentum. Imo, licet stricte necessaria non esset definitio sed valde proficia, Dei benignitas, praeprimis fidelium

precibus sanctorumque meritis efflagitata, deesse censenda non est. Sed tamen semper est assistentia divina, non vero *inspiratio*, seu novae doctrinae revelationis, sed per definitionem Ecclesiae infallibilem solummodo veritas, antea Apostolis revelata et semper in deposito Fidei conservata, declaratur et explicatur.

Quare 4^o. *traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum* ut objectum suum infallibilitas comprehendit.

Omnis ergo et sola veritas a Deo revelata, sive explicite sive implicite, humano generi ad salutem aeternam consequendam, constituit depositum fidei, sive theoretica sive practica sit, et nihil refert, an ratione cognosci possint an non. Revelata ad fidei depositum aequae pertinent, quamquam illae veritates forsitan adhuc non sunt sufficienter propositae ab Ecclesia ad dogmata formalia constituenda. In hoc easu tamen non debent, si non sint sufficienter propositae, credi fide divina catholica sub haeresis poena 1). Sed cum objectum sit: traditam per Apostolos revelationem divina assistentia docendam, consequitur quod obligatio adest sive Scripturas serutando sive Traditionem investigando sive sensum fidelium, cleri, maxime et

1) Cfr. Kleutgen. Die Theol. der Vorzeit. Munster 1853.
I. B. p. 55.

episcoporum (Pius IX Encycl. Ubi primum 11 Febr. 1849) consultando, sive precibus aliisque mediis adhibendis veritatem disquirendi. Sed semel ac quidquam ad fidem spectans definitum habeatur, dubitare non licet, utrum omnis ante hujusmodi definitionem diligentia praemissa sit. „Cum Deus, ut ait Melchior Canus (de Locis l. V. c. 5) Ecclesiae firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest quominus tribuat Ecclesiae preces caeteraque praesidia, quibus haec firmitas conservatur. Non vero dubitari potest quod in rebus naturalibus contigit, idem in supernaturalibus usu venire, ut qui dat finem, det consequentia ad finem. Quod si Deus in sequentem annum frugum abundantiam polliceretur, ecquid stultius esse posset quam dubitare, anne homines semina terrae mandaturi sint?..... Id quod privato cuique alteri homini accidere potest, ut nec diligentem navet operam ad disquirendam veritatem, et ut navaverit, integrumque sese in ea re praestiterit, errat adhuc tamen quamvis error sine culpa sit. Error autem vel inculpatus ab Ecclesia Dei longissime abest.”

Sed licet hae solae veritates stricto sensu depositum fidei constituunt, non licet tamen ad illas coaretare Ecclesiae infallibilitatem, ad objectum tantummodo directum. Nam Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum cus-

todiendi, jus etiam et officium habet divinitus falsi nominis scientiam prohibendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (Col. II. 8) Constit. I de Fide cath. c. IV. Et revera Ecclesia non posset missionem suam docendi omnes gentes adimplere, si non instructa esset ea potestate, qua doctrinas revelationi sive directe sive indirecte oppositas certitudine infallibili proscripteret: non probando principia aliarum scientiarum, ut ait S. Thomas, nam Ecclesia infallibilis non est in metaphysica aliisque disciplinis, sed ut idem ait: judicando de illis, nam impossibile est quod ea, quae sunt philosophiae, sunt contraria iis, quae sunt fidei; verum enim vero contradicere nequit. Et sic Ecclesia rationis usui non obstat, sed abusum tollendo, potius favet et certum illum firmoremque reddit. Judicium vero de objectis, quae et quatenus sunt in deposito fidei contenta vel cum eo connexa, tantum Ecclesiae competit. Quibus dictis jam patet quare in definitione dictum est: charisma, quo depositum fidei

5º. Sancte custodit fideliterque exponit.

Quomodo illud facere posset sancte fideliterque si non errores oppositas repellere possit? Illud munus Ecclesia exequitur docendo et judicando. Primum dici potest quotidianum et praestat fidelibus salutarem doctrinam, alterum vero, temporum adjunctis id postu-

lantibus, pulsat doctrinae sanae adversantium conatus, definiens aliquid esse revelatum vel non revelatum vel revelato opponi. Quam ob rem dogmata non restrin-genda sunt ad ea, quae sunt solemniter definita, nam et per manifestam Ecclesiae fidem, manifestum sacrae Scripturae sensum et manifestum Traditionis testimoniūm aliquid fide catholica credendum manifestatur. Neque definitiones restringendae sunt ad ea, quae inflictō anathemate canonibus declarantur, sed nulla determinata formula tenetur definitio. Solummodo necesse est, quod id tamquam Ecclesiae doctrinam ab omnibus admittendam docendi intentio perspicua est. Luce clarius est quod ad sancte custodiendum et fideliter exponendum, cum Ecclesia sit societas hominibus constans, proinde humano loquitur modo, infallibilis verborum et phrasium electio pertinet. Alias enim in sentiendo, speculative tantum esset infallibilis, practice vero in *docendo* errare posset et filii qui viam a Christo indigitatam sequerentur forsitan in errorem ducerentur, quum filii inobedientiae veritatem haberent. Quod quam nefas sit cogitare, nemo non videt.

Praeter hanc totius Ecclesiae passivam et Ecclesiae docentis activam infallibilitatem, quasi triplici corona, qua ornavit Christus suam sponsam, pollet Romanus Pontifex infallibilitate eadem, qua divinus Redemptor

Ecclesiam suam instructam esse voluit: quae ergo non derivatur ab ea, quae est Ecclesiae. Divina enim Salvatoris verba: „Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.” — „Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et Portae inferi non praevalebunt adversus eam” — diriguntur ad solum Petrum; est itaque privilegium Petri, charisma Primitui adnexum, assistentia donata ut Ecclesiae capitibus praerogativa, independens ab Ecclesia, quae quoque infallibilis est sed conjunctim cum eo. Definitio illa Vaticana non quidem dicit, Ecclesiam suam infallibilitatem habere a capitibus sui infallibilitatis causam non esse illam Ecclesiae, quem definit, quod pollet eadem, vi promissionis divinitus factae Petro et in Petro suis successoribus.

Caeterum sequitur ex illis verbis: *eadem infallibilitate pollet*, quod natura, conditiones et extensio eodem modo se habentur ac super descripta Ecclesiae docentis inerrantia. Quare cum abundantius de ea actum est, supervacaneum foret, idem rursus repetere, quod supra dictum est. Solumnmodo propter falsas a quibusdam factas explicationes superius de necessario nexu corpus Christi mysticum inter et Ejus caput, et de summa unitate eorum tradita in memoriam revocamus. Quapropter cum Privilegium illud summi Pontificis *personale* dicimus, id intelligendum est de persona publica, distincta

non vero divisa ab Ecclesia. *Independens* illud vocamus, ab Ecclesia scilicet, sive discente sive docente, non vero, ut patet, ab Institutore divino hujus Primatus et assistentia Spiritus Sancti; *Absolutum* vero, quia nulla lege humana, etiam ecclesiastica, limitari potest; lege tamen divina ad depositum fidei sancte custodiendum fideliterque exponendum restringitur. *Seorsum ab Ecclesia vel ab ea separatum* minus accurate dicitur, quia hoc tantum in sensu prorsus improposito sine gravissimo errore dici potest et melius proinde a talibus locutionibus abstineri nobis videtur. Quare Synodus Vaticana, sese ab illis locutionibus abstinentis, solummodo formulam: *ex cathedra* adoptavit, significationem ejus determinando: „cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro sua suprema Auctoritate definit.” Sic ab Infallibilitate omnes actus Pontificis, ut personae privatae, principis temporalis, doctoris particularis, etiam romanae diocesis episcopi excludens. Et quamvis, divina Providentia sic disponente, nullum exstat de Summo Pontifice, tamquam haeretico etiam materiali, certum exemplum; tamen solum Doctor Ecclesiae Universalis, Ecclesiam illam ex cathedra Petri Apostolica auctoritate in rebus fidei et morum docens, ab errore immunis declaratur.

C A P U T II.

Censurae, quae et quid sint.

Progredimur nunc proprius ad materiam ipsam nostrae dissertationis, nempe quid sint illae censurae, de quibus agimus, explicandum est. Quia in re certe difficultas non minima invenitur. Nam quod fere in omni materia magnum onus parit, hoc praeprimis in hoc negotio specialiorem ex ipsa rei natura molestiam secum affert.

Ut plurimum enim fit, quamvis bene inter res diversas discrimen videmus conceptu, ut sic dicam, generaliori, quando tamen differentia ultima danda est, nos balbutimus et haerimus haesitando. Sed si hoc locum habet in rebus quotidianus et obviis, mirum non est id multo majorem molestiam afferre, quando de rerum abstrusiorum intima natura indagandum est. Quare omnes Doctores, de hac materia scribentes, mul-

tum laborant in efformanda harum notarum clara distinctaque idea et etiam maximi nominis Theologi disputant de sensu variarum qualificationum theologicarum. Sed hoc doctrinae a nobis tractandae minimum officit, cum in ipsa unanimes sunt, imo dicendum est, eos ordinarie non tam differre in rei conceptu quam in aptis ad id exprimendum verborum formulis. Nam quisque videt exempli gratia statim primo aspectu, quid sit propositio temeraria, scandalosa in rebus fidei, cum bene intelligit, quid sit temeritas et quid scandalum; sed tunc difficultatem experitur, quando illae notiones explicandae sunt et ab invicem distinguendae. Major exinde quoque crescit labor, cum variae propositiones variis simul qualificationibus dignae sunt, ex eo quod aliae specificae sunt, proindeque generaliores includunt. Sic exempli gratia propositio, quae est haeretica, a fortiori est temeraria, falsa, pii auribus offensiva etc. Sed magnum ex altera parte invenitur emolumentum in variis Conciliorum et Summorum Pontificum decretis, ex quibus usus praesertim denominationis hauriendus est, inspecta illa propositione, quae illis notis authentice damnata est. Hisce ergo ducibus, ex variis invicem collatis Scriptoribus magni nominis 1), quae meliora sunt, seligere conabimur.

1) Auctores praeprimis a me consultati sunt: Ripalda t. 3

Damnabilis propositio in Theologia est textus humanae originis 1), qui adversatur doctrinae orthodoxae fidei vel moribus.

Sed cum sententiae illae vario modo doctrinae fidei vel moribus adversari possunt, idcirco particulares

d. 1. s. 7. D. Antoninus. Summ. Theol. p. 2. tit. XII. c. 5. edit. Spirae 1487. — Suarez. de Fide d. XIX. Sect. 2. — Card. de Lugo. de Fide d. 20. Sect. 3. — Card. Turrecremata de Ecclesia l. 4. p. 2 c. 8. — Melchior Canus l. 12. c. 6, 7, 8, 10. — Sylvester verbo haeresis. — Gantier. Prodr. ad theor. dogm. schol. Col. 1756. Dissertatione 2. — Tournely. De censuris in append. t. V. p. 173 et seq. Colon. 1737. — Kilber (Theol. Wirceburgensis) de Fide (in finem). — Cardenas, Crisis Theologica. Pars IV. Dissert. I. Froemialis (Venet 1710). — Viva. Damnatae Theses: quaestio prodroma. — Franzelin: de divina Traditione et Scriptura p. 120. — Gousset. Theologie Dogmatique. — Manning. Histoire du Conc. Vat. Paris 1872. p. 98. — Denzinger. Praefatio Enchiridion. — Kleutgen. Theologie der Vorzeit. Munster 1853. I. B p. 60. — Hergenröther. Katholische Kirche u. Staat. Freiburg 1872. XV. De Syllabo 806.

1) Damnari enim non debent propositiones ad verbum ex S. Scriptura expressae. Haec quippe reverentia debetur Spiritui Sancto, rejiciatur ergo venenosa doctrina, at sacra Dei afflato verba illaesa maneant, quamvis Ecclesia earum usu fideles aliquando ob abusum haereticorum interdicere potest, cfr. Tournelij op. c. art. 3. p. 216.

gradus seu quasi species numerantur *censurarum* seu *qualificationum ignominiosarum*, quibus aliqua *propositio damnabilis notatur*.

Nam aliqua *propositio* dicitur haeretica, haeresi proxima, haeresim sapiens, erronea, temeraria etc.

Antequam ad singulas deveniamus generatim animadvertisimus :

1°. Contra Cajetanum et Canum, qui putant non posse dici aliquam propositionem haereticam, nisi animo pertinaci et haeretico proferatur — quod omnis *propositio absolute et independenter ab animo loquentis qualificatione aliqua censuratur*. Nam praeterquam quod Ecclesia infallibilis non sit in animo interno auctoris dijudicando, sed tantum in sensu obvio, qui ex ejus verbis sic enuntiatis oritur, propositiones inveniuntur damnatae, quamvis ab auctoribus ceteroquin sanctis, ut erant inter semipelagianos, et optimae vitae christiana, ut Raymondus Lullus, qui pro fide sanguinem fudit, prolatae. Objectiva enim haeresis hic tantum locum habet, et distinctio formalem haeresim et materialem inter, quae optimo jure adhibetur, quando de proferentibus sermo est, ut patet, nullo modo de verbis sic vel sic jacentibus usurpari fas est. Nec ideo tam imperiti sumus, ut vult Canus, quod erroris culpam in Pagano haeresim dicimus, sed tantum negamus quod ille asserit; exempli gratia propositionem „*Christus*

non est Deus", si a Judeao proferatur, esse Judaicam, a Pagano paganam, et a Christiano haereticam. Nam non agitur hic de personae malitia, sed de re in se spectata quoad certitudinem fidei. Et si illas distinctiones propositionis paganae, judaicae et aliarum hujusmodi, adhibere voluerimus, tum certo melius videretur, quod scribit Gousset, Cardinalem de Lugo sequens, et cum eo objectivum discrimen statuens. Judaica esset propositio, quae veritatem Religionis christiana negans, tamen Unitatem Dei intactam relinquaret. Pagana vero si etiam hanc cum caeteris negaret. Et certe probatur ex eo quod dicit Concilium Constantiense: „Compertum est, inquit, ex praefatis articolos plures esse notorie haereticos, ALIOS non catholicos sed erroneos, ALIOS scandalosos, QUOSDAM piarum aurium offensivos, NONNULLOS temerarios." Ridiculum sane est, supponere ita distingui, quia Joannes Hus, Wicleffius, alios cum pertinacia, alios sine pertinacia docuissent.

Sed 2o. nullo modo singulari quorumdam sententiae adhaereri potest, quae vult, generice tantum illas diversas denominaciones adhiberi, nullo vero rei discrimine sic dici: nam quamvis certe multae graviores censurae (non tamen omnes) inferiores includunt, tamen ex usu Conciliorum et Pontificum ut gradibus diversae distinguuntur. Forma enim sermonis exempli

gratia supra laudati Constantiensis, esset et falsa et absurdia, si propositio erronea pro quocumque errore communiter sumeretur. Sine dubio igitur diversae censurae non cogitatione modo sed re separantur, non tamquam genus a specie, quod esset discriminatio nis, sed tamquam una species ab altera, quae vera rerum non modo vocabulorum distinctio est.

3º. Recta quoque non videtur distinctio illa, qua haeresis errorisque censurae fidem, caeterae vero characterem moralem propositionis respicere dicuntur. Hae enim non tantum ob illud momentum morale, sed etiam propter oppositionem cum fide sic damnari possunt, ut exempli gratia in propositione temeraria et malesonante clare patet. Caeterum tam immaculata fides quam mores sancti et integri pertinent ad commissum Ecclesiae depositum.

4º. De quaestione vero inter Theologos agitata, utrum propositio damnabilis semper falsa esse oporteat, an vero aliquando propositio vera censurâ perstringi possit, opportuniori loco videbimus. Nunc singulas censuras enumerabimus.

A. Primo loco sese offert: propositio *haeretica*.

Est sententia directe et immediate opposita, sive contrarie sive contradictorie, alicui veritati, de qua

certo constat esse de Fide, proindeque revelata et ut talis ab Ecclesia proposita est.

Non ergo sufficit ad hac nota qualificandum, ut propositio sit tantum adversans dogmati, sensu minus stricto, nempe doctrinae revelatae quidem, sed tamen ut talis non satis ab Ecclesia manifestatae. Secus enim propositio negans, exempli gratia, tempore Joannis XXII, animas sanctorum statim post mortem adepturas esse visionem beatificam, fuisse haeretica; qui modus loquendi odiosus, reipsa verus non est 1). Sed ex altera parte necessarium quoque non est ut jam definita sit illa veritas, sed, ut recte docet Eximus Denzinger, si tam aperte et notorie ab Ecclesia docetur, ut nulla id tergiversatione negari possit, vel conclusio est ex duabus praemissis de fide, vel ut pars, ut correlatum in ejusmodi propositionibus continetur, recte haeretica vocatur. Et exemplum habemus in propositione 1^a. Pistoriensium negante infallibilitatem passivam Ecclesiae.

Distinctiones varias, quae ponuntur a quibusdam theologis inter gradus propositionis haereticae, aliam mediatam, aliam immediatam dicentes, imo septem enumerantes, hic excudere brevitatis causa omitto, quia revera non multum utilitatis habent, imo, ut jam

1) Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 11. a. 2 ad 3.

Suarez animadvertisit, potius in re non distinguuntur. Omnis enim propositio de fide, quatenus talis, aequa certa est; quia innitur Prima Veritati, quae in omnibus aequa verax, ideoque aequa certum reddit hominem. Ergo et omnis propositio haeretica, totius fidei corruptelam inducens, aequa falsa est eodem gradu erroris et falsitatis.

Hisce paucis quoad substantiam pene nihil facientibus exceptis, Doctores in hac nota unanimes sunt, quod vero sic non dici potest de *erronea* propositione.

B. Ex observatione, quod propositio sit absolute consideranda, refellitur jam sententia eorum, qui putant, quando abest proferentis pertinacia, propositionem esse erroneam. Existunt enim propositiones damnatae ut *erroneae*, e. g.: *Christus quotidie peccat*, in concilio Constantiensi, cuius auctor vere erat pertinax. Aequa jam dictum est quod propter Conciliorum et Pontificum praxin non tantum generice ea denominatio sumenda est, sed revera error distinctus est ab haeresi.

Erronea est sententia, quae opponitur veritati certae Theologica certitudine, quae non attingit gradum certitudinis fidei, quia nullo modo est formaliter et immediate revelata, sed tamen est conclusio evidenter illata ex una praemissa de Fide et ex altera evidente ex lumine naturali, adeoque mediate revelata. Dis-

tinguitur ergo ab haeresi, quod veritas, cui adversatur, non proponitur ut revelata; cum tamen propositionem oppugnat universalis consensu theologice certam, non est simpliter falsa sed erronea. Error enim non est quocumque falsum, sed quod contradicit placito universaliter accepto. Exemplum habemus in propositione septima Pistoriensium 1), quae supponit, episcopo fas esse statuere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sine interventu superioris hierarchiae potestatis, a qua inductae sunt. Id enim clare opponitur legitimae deductioni ex doctrina catholica de hierarchia divinitus instituta ideoque erroneum. Nec dicendum est, hanc sententiam esse haereticam, utpote necessario negantem, Primum non tantum honoris sed et Jurisdictionis Divi Petri successorum, imo etiam Conciliorum Generalium totiusque ecclesiasticae Hierarchiae auctoritatem, nam non quaeritur an proferens illam sententiam interius peccet peccato haereseos forsitan vel probabilius, sed de propositione, uti jacet, agitur. Et sic sumpta non necessario est haeretica: nam possibile est, quod quis credit veritatem fidei, sed quia stulte negat universale principium ratione naturali cognitum, vel etiam hoc admittens, tamen consequentiam legitime deductam non vult agno-

1) Apud Denz. 1370.

scere, consequens non admittit. Quo in casu non est haereticus, sed erroneus in fide. Et praeterea animad- vertendum, non semper censura suprema notari pravam sententiam. Sed aliquando satis esse Magisterio Ecclesiae definire gradum, qui certo est tenendus, ut patet ex propositione sexta 1) damnata ejusdem Bullae „*Auctorem Fidei*”, quae damnatur ut *ad minus erronea*.

Ex hisce facile colligimus quid sit: *haeresi proxima, errori proxima* etc.

Quum enim haeretica est sententia adversans dogmati, de quo constat esse de fide; quando aliqua dubitatio existit de illa certitudine, cum plures id de fide dicant, aliis tamen negantibus, proindeque aliquibus non constet esse de Fide, quamquam omnes ut theologicice certum habent, — tunc dicitur haeresi proxima opposita doctrina. Card. de Lugo putat hanc censuram non tam gravem quam illam erroris, quia opinio illa, quod nempe sit haeretica, quamvis plurimorum, falsa esse potest, et ideo tam necessaria non invenitur conexio cum haeresi in ea, quam in errore. Sed melius videatur, quod dicit Franzelin l. c. omnem propositionem proximam haeresi esse *etiam erroneam*, (nos malumus dicere: *salem* erroneam), non tamen omnem propositionem affectam censura erroris esse *etiam proximam*

1) Apud Denz. 1,69.

haeresi. Nam quamvis hujus doctissimi Auctoris definitionem non omni ex parte nostram fecimus, hanc conclusionem tamen certam esse dubitare non possumus. Quia si non tantum plurimi gravissimi auctores aliquid de Fide censem, sed et Ecclesia, quamvis ob aliquorum negationem supremi gradus judicio abstinuit, tamen illi proximum definit, id, si non tantus error ut haeresis vocetur jure merito, certo certius apud omnes ut error habetur et revera est.

Sic quoque cum error est, quod certo ab omnibus ut adversans doctrinae, evidenter illatae ex placito de fide, habetur: quum non omnibus evidentia illa constat, vel quia praemissa una non tam certo est de fide, vel altera non tam certo est evidens lumine naturali vel consequentia non tam certo ex illis eruitur et sic porro de caeteris in definitione erroris dictis, propositio vocatur *errori proxima*, seu errori sic contigua, ut jam multis gravissimae auctoritatis scriptoribus error videatur. Exemplo sit propositio a Paulo V ut errori proxima damnata „quod nempe Sacramentum extremae Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit” De qua re adhuc scribit Perrone (ed. Parisiis t. 2. p. 434): „Utrum haec episcopi benedictio necessaria sit necessitate praecepti divini seu sacramenti, an solum ecclesiastici, ut graves theologi sentiunt, qui propterea negant hanc benedic-

tionem ad essentiam sacramenti pertineri nihil certi statui posse videtur." Et deinde increpat „eximum Suarezium" id absolute affirmantem „quasi non legerit unquam Euchologia Graecorum." Et quamvis certe et ipse eximius Perrone nunquam legit decretum Pauli V (a. 1655 de materia extremae Unctionis: decisio Gregorii XVI postquam cl. auctor id scripserat, edita est a. 1842) tamen ex hisce verbis intelligimus, quare illa sententia ut errori proxima, non vero erronea damnata est, quamquam in Decreto ad Armenos dictum est: „materia est oleum olivae *per episcopum benedictum*" et in Tridentino „materiam esse oleum *ab episcopo benedictum*."

Similiter intelligitur propositio *haeresim sapiens*, nempe ea, quae magnam connexionem cum haeresi habet, ita ut haec sententia probabilissime judicetur profecta ex sententia haeretica.

Suspecta vero de haeresi est illa, quae licet non tam fundatam tamen probabilem conjecturam parit, illam esse deductam ex principiis haereticis. Quae censurae tamen communiter simul inveniuntur ut in prop. 28. Pist. quamvis non semper: e.g. propositiones 79 Baii respective ut suspectae damnatae. Caeterum eleganter animadvertis Canus l. 12. c. 9: eamdem propositionem, in uno lectam haeresim sapere, quandoque non in alio: sicut unum vinum ex uno vase sapit,

vel olet aliquid ingrati, quod non olet vel sapit de promptum ex alio, et aqua per diversos canales derivata saepe diversos habet sapores et odores: adeo, inquit „tum res tum orationes ipsae a venis aliquando et viis, per quas permeant, saporem et odorem accipiunt.” Quod, quamvis preeprimis de his, tamen et de aliis propositionibus obtinet, quare et versus condemnandi modus invenitur. Primus est: *sicut jacent*, id est, eo sensu, quem habent verba secundum se, et ut separata a contextu; etiamsi forsan alium sensum habeant in mente quorumdam scriptorum, qui eandem propositionem exararunt sed eam per antecedentia et consequentia modificarunt. Quapropter damnata non sunt in sensu istorum, sed in sensu, quem habent ex usu nunc recepto. Alter vero est: *in sensu ab Auctore intento*. Ille sensus non est, quem auctor forsitan in mente habuit, quando scripsit, sed sensus literalis, quem verba auctoris significant juxta suam institutionem et receptam significationem, in sensu obvio. Ex quibus dictis concludere jam fas est, illos aberrare, qui, neglecta distinctione, uniuscujusque propositionis condemnatae contradictoriam eo ipso veram et Ecclesiae doctrinam reputent: id enim solummodo de propositione omnimode et absolute falsa, et ut tali damnata, obtinet. Sic enim e. g. ex censura prop. 91 Quesnellii (Denz. 1306) deduceretur: excommunicationis

injustae metus aliquando (vel semper) debet nos impeditre ab implendo debito nostro; aliquando eximus ab Ecclesia, etiam hominum nequitia ab ea expulsi, licet Deo, Jesu Christo atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi.

Clare id nobis exemplo quodam ex praedicatore satis cognito cl. Hergenröther ante oculos ponit l. c. Cum enim Pater Abraham, ut narratur, suo modo increpasset aulicas, minus honeste vestitas, easque quae conspuerentur dignas dixisset, coactus fuit hanc retractare contumeliam. Et hocce modo id fecit homo iste „indignae sunt quae conspuerentur.” Quidquid sit de hac ratione agendi, meliori explicatione non facile ostendi potest, et affirmationem et negationem ejusdem sententiae aequa esse injuriosam et falsam sub quibusdam rerum adjunctis. Caeterum quoque notandum cum S. Liguorio (l. 3 tract. V. dub. VII. n. 760 in fine p. 324 ed. Ins. 1841. vol. 2. p. 324) „non nulos induci ad reprobandas cunctas opiniones, quae aliquam similitudinem habent cum propositionibus damnatis, inepte putantes eas ita generaliter proscribi, ut nullam patiantur exceptionem, vel justam interpretationem. Quod revera est contra naturam propositionum damnatarum; juxta enim omnium doctorum consensum, non sunt clausis oculis rejiciendae omnes propositiones, nisi expresse aut virtualiter in proscriptis

contineantur. Caeterum , regulariter loquendo , propositiones damnatae intelligendae sunt uti jacent , et in sensu rigoroso , atque ab auctoribus illarum intento . Praeterquam quod quaedam opiniones damnatae sunt , quia nimis generaliter loquebantur , et ideo non sunt extendendae ad omnes casus particulares , qui propter aliquam momentosam circumstantiam distinguuntur .”

Haeresi , vel *haereticis* , vel *eorum conviciis favens* est sententia , quae videtur patrocinari causae haereseos , vel personis haereticis , vel dictis ab eis , et deprimere doctrinam sive agendi rationem Ecclesiae . Exemplum prop. faventis haeresi Semipelagiana in prop. 20 Pist. qua datur intelligi hominem sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae Mediatoris 1) . Haereticis favens dicitur Pist. prop. 29 propter omissionem et doctrinae et vocis : Transsubstantiationis in expositione doctrinae de s. Eucharistia . 2) Haereticorum in Ecclesiam conviciis favens dicitur eorumdem prop. 33 , quae vult liturgiam revocare ad majorem rituum simplicitatem , eam vulgari lingua exponendo et clara voce preferendo , quasi vigens ordo aliqua ex parte manasset ex obliuione principiorum , quibus regi debet . 3)

1) Denz. 1383.

2) „ 1392.

3) „ 1396.

Fovens vero haeresim vi vocis gravior censura mihi videtur; fovere enim multo majorem benevolentiam et auxilium intensius tribuere est, quam simpliciter favere, ut quoque patet ex prop. 14 Pist. 1) quae ut talis reprobatur, quatenus distinctioni juris et facti (ab Jansenianis inventae) suffragatur, ejusque fautores laudibus extollendo et eorum adversarios vituperando.

Inducens in systema haereticum (prop. 5 Pist.). Si non idem est ac error, certe ab illa censura non multum differt. Discrimen mihi videtur in hoc, quod est multo generalior censura, cum non dicit determinato modo quare in haeresim inducit, dum id per errorem semper fit negando veritatem cognitam ex uno principio certo de fide et altero evidenti lumine naturali etc.

Detrahens firmitati definitionum, judiciorum dogmaticorum Ecclesiae est sententia aliquid enuntians, ex quo dubitatio oritur circa aliquid, quo labefactato ruit quoque definitionis firmitas, quod variis modis fieri potest. Exemplum habemus in prop. 10 Pist. 3), in qua innuitur, sacerdotibus judicium in causis fidei competere jure proprio; sed cum semper in Ecclesia soli episcopi in causis fidei dijudicandis vocati sunt,

1) Denz. 1377.

2) „ 1368.

3) „ 1373.

patet quoque inde definitionum Conciliorum legitimatem suspicionem non minimam pati. Ita quoque sententia paucorum illorum, qui nostro tempore Concilium Vaticanum non satis liberum dicebant, inter alias censuras quoque hac infliganda est.

C. Sed sicut haeretica est, quae opponitur veritati de fide, sic illa, quae immediate opponitur *unitati Ecclesiae*, dicitur *Schismatica*, et quidem simpliciter talis, si non impugnat simul aliquam veritatem fidei, sed solummodo negat obedientiam Ecclesiae in suis veris Pontificibus Summis, Conciliis ac Praelatis debitam.

Quae etiam habet suos gradus connexos ut *inducens in Schisma*, quae viam sternit ad Schisma; *Schisma foyens*; *derogans obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, sententiis ab hierarchica superiore legitima polestate manantibus*; *regiminis hierarchici subversiva*; *episcopalis auctoritatis, pastoralis juris laesiva*. Haec et alia, si quae sunt, facile ex dictis intelliguntur vel nulla expositione indigent.

Sed ante oculos habendum est, quod schisma haeresi maxime cognatum est. Licet enim haeresis et schisma diversa via hominem ab Ecclesia segregent, altera per desertionem a fide, alterum per desertionem ab obedientia legitimorum Ecclesiae pastorum, schisma

tamen purum sine aliqua haeresi vix ullum est, tum quia schismatici facile sibi persuadent extra Ecclesiae unitatem salutem esse, quod est aperta haeresis, tum quia aliquam addunt haeresim ut recte ab Ecclesia discessisse videantur 1). In propositione vero schismatica id expressum esse non quidem necesse est, sed quia propositio tradit communiter doctrinam, majus periculum illius connexionis in ea invenitur, quam in simplici peccato schismatis, (cfr. Prop. 85 Pist. de nationali concilio convocando. Denz. 1456.)

D. Malesonans, Piarum aurium offensiva, captiosa.

Prima communiter satis ab auctoribus definitur ut propositio, quae in aliquo sensu catholica, tamen in alio sensu, magis obvio praesertim, damnabilis est; sed et nihilominus absque explicatione et exceptione profertur, ideoque peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi, quo solent a fidelibus usurpari.

Discrimen vero malesonantis et piarum aurium offensivae diversimode ab illis datur.

1) Suarez 1. de Haer. c. 22. n. 1. s Hier. in Ep. ad. Tit. 3: Caeterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur." cfr. tamen s. Thom. 2. 2. q. 39. a. 1.

De Lugo 1) putat quod illa usurpat voces quidem in sola propria significatione, sed tamen dicit id vel tali modo, ut fidelium *pietatem* si non extinguat ad minus tepidiorem reddat.

Kilber 2) (quem sequitur Franzelin) vult quod repugnat communi fidelium existimationi, in quam ex *pietate* inducti sunt.

Suarez 3) denique dicit quod per *pietatem* auctores communiter intelligunt *religionem* et sica malesonante distinguitur.

Sed cum inspicimus propositiones, quales sunt e. g. 44 Syn. Pist. 4) asserentem reservationem casum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus, assuetis non admodum curare hanc reservationem; et ejusdem prop. 65 enuntians: 5)... missiones forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere nihil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concus-

1) l. c.

2) l. c.

3) l. c.

4) Denz. 1407.

5) „ 1428.

sionis fulgura — quae praeter falsitatis vel temeritatis notam et *malesonantes* dicuntur, ego candide fateor, me aliquem sensum verum in his propositionibus non facile invenire, nisi forsitan liceret nimis insistere in illud : *pro poenitentibus assuetis et absolutam conversionem.* Tum quoque quod prima *falsa*, *temeraria* et secunda *temeraria* simul vocatur non exiguum negotium facescit. Quare melius forsitan scripsit M. Canus : 1) „Est enim, ut linguae [in sapiente haeresim] ita et aurum judicium, absurdos et abhorrentes sonos respuentium. Quemadmodum autem non solum res falsae atque perabsurdae, ac verae sententiae inconditis verbis elatae offendunt aures 2), acres et acutas, sic Theologorum aures teretes, et religiosae non a sententiosis modo falsis et haereticis, sed ab iis etiam abhorrent, quas intelligenti judicio percipiunt male atque absurde sonare, quamvis nullam in eis falsitatem haereseos deprehendant. Dupliciter ergo de propositione male sonante loqui possumus. Uno modo generaliter.....
..... Alio modo specialiter, quo gradum quem-

1) l. c.

2) Dicendum, inquit D. Thomas 3 p. q. 16. a. 8. o., quod sicut Hier. dicit (?) ex verbis inordinate prolati incurritur haeresis: unde cum haereticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videatur.

dam propositionum constituimus ab illo haereticarum supremo distantem. Qua ratione eas proprie male sonantes propositiones et piarum aurium offensivas dicimus, in quibus nullus error Fidei adversus manifestus notari potest, sed absonum nescio quid, atque absurdum, quod indignum esse piis et religiosis auribus videatur." Disserimen tamen illud Suarezii quoque admittimus, quod forsitan et ipse Canus voluit indigitare, quo propositio illa, si male sonat in materia Religionis seu Pietatis, tunc dicitur piarum aurium offensiva; e. g. prop. 62 Pist. 1) rejiciens devotionem erga sacratissimum Cor Jesu est piarum aurium offensiva et iterum prop. 64, quae velut superstitionem universe notat quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum, pietati fidelium injuriosa. 2)

Captiosae tamen, nostro judicio, illa convenit definitio supra a citatis AA. de malesonante tradita, e. g. Prop. 61 Pist. 3) quae asserit, directe adorare humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae; et damnata ut *captiosa*, quia humanitas ipsaque caro

1) Denz. 1425

2) „ 1427.

3) „ 1424.

Christi adoratur, non quidem propter se et tamquam nuda caro (hoc sensu: *directe* etc. esset verum) sed prout unita divinitati et proinde est una eademque oratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur.

E. Pernicosa, Scandalosa, Simplicium mentium seductiva, seditiosa, superstiliosa.

Facile putaret quis perniciosa perinde valere ac scandalosam, nisi in prop. 64 Pist. 1) contrarium pateret: ex quo simul discimus priorem alterā esse graviorem. Et merito, nam perniciem afferre multo majus nocumentum vi vocis exprimit quam offensionem.

Scandalosam, non ut severior Ariagae 2) expositio vult, illam dicimus, quae dat in materia Fidei errandi occasionem vel male suspicandi de Fide dicentis, sed, ut communiter docent AA., quae docet aliquid, quod praebet aliis occasionem ruinae spiritualis; sic plures sententiae nimis laxae damnatae sunt. Sed si non tantum unius alteriusve individui eam sequentis lapsum causat, sed societatem totam Christianam maxima utilitate privat et gratiis summopere necessariis,

1) Denz. 1427.

2) de Fide disp. 20. n. 13.

ut prop. 39 Pist. 1) suadens non tantopere frequentari peccatorum venialium confessionem; vel ordinem publicum perturbat, ut ejusdem prop. 47, tradens 2) excommunicationem *ipso facto* et 49: *suspensiones ex informata conscientia* nullum actualem effectum habere et esse nullas, merito vocatur *perniciosa*. 3)

Simplicium mentium seductiva, si talis occurrat censura, est, ut Kilber dicit, quae sub specie et velo pietatis ac doctrinae sanae seducit simplices animas a fidei doctrina; forsitan eadem est ac captiosa.

Seditiosa: si in illud peccatum speciale rebellionis contra principes vel ad tumultus in republica exercitandos conducere potest. Addunt aliqui: maxime si in Ecclesia viam sternit ad negandam vel diminuendam obedientiam Ecclesiae, Pontifici, ac Praelatis circa res fidei ab iis propositas credendas debitam. Sed quamvis haec censura in generalitate sua id non excludat, ut videri potest in prop. 65 Molinos: 4) „Praepositis obediendum est in exteriore; et latitudo „voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exterius „pertingit. In interiore vero res se aliter habet, quo

1) Denz. 1402.

2) " 1410.

3) " 1412.

4) " 1152.

„solus Deus et director intrant” [respective] seditiosa , tamen illud „maxime” non probamus 1), cum tunc potius schismatica vocanda foret, quando de potestate ecclesiastica ageret. Et in rebus fidei potius ad haeresim ejusque connexa reducenda esset.

Superstitiosa , si in illud , verae religioni per excessum oppositum , vitium inducit.

F. *Blasphema* vero vocatur quae injuriam et irreverentiam contra Deum vel Sanctos continet, et solummodo in hoc peccat. Nam potest simul errare in fide et tunc non est tantum blasphema sed est haereticalis blasphemia.

Injuriosa econtra , si contumelia fit non Deo vel sanctis sed contra alios , quorum honori consulti merito Ecclesia. Putat de Lugo hanc non contra fidem sed contra bonos mores esse, et hoc certe verum est ;

1) Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 42. a 1. ad 2 : „Seditio differt a schismate in duobus ; primo quidem , quia Schisma opponitur unitati spirituali multitudinis , scilicet Unitati Ecclesiasticae : seditio autem opponitur temporali , vel saeculari multitudinis Unitati , puta civitatis vel regni. 2º. quia schisma non importat aliquam praeparationem ad pugnam corporalem , sed solum importat dissensionem spiritualem , seditio autem importat praeparationem ad pugnam corporalem.”

sed ordinarie quoque habet relationem cum fide, ut aperta luce ex prop. 42 Pist. 1) monstratur, quae cum maximo luctu dolet, quod chimaerica applicatio indulgentiae transferri volita sit in defunctos, et damnata est ut in Romanos Pontifices injuriosa.

Impia solet illa doctrina vocari, qua verus Dei cultus evertitur vel minuitur. Non potest tamen extendi ad ea, qua caetera bona opera impediuntur, tunc enim potius *noxia* dicenda est.

G. Nunc suo loco venit tandem illa difficillima *Temeraria* propositio, quam varii varie explicant. Nos eam cum S. Antonino et Turrecremata et aliis sic definiendam esse putamus:

Propositio asserens aliquid tamquam certum circa res ad religionem pertinentes, quod non potest efficaciter probari ratione vel auctoritate, proindeque nullo inititur fundamento satis firmo.

De more suo egregie sic explicat de Lugo: „Proposito temeraria est, quae communi Patrum sensui, „opponitur, aut quae contra Doctores sentit sine sufficienti fundamento, quale esset, si magni ponderis „ratio vel gravis doctoris auctoritas, qui rem bene

1) Denz. 1405.

„discussisset pro ea etiam parte reperiretur. Ad hoc „autem ut propositio hanc censuram mereatur debet „esse in *materia proprie Theologica*: nam quae solum „est talis in materia mere philosophica vel astrologiae „erit temeraria in philosophia, non tamen diceretur „simpliciter talis et absolute, quia haec censura usur- „patur solum in iis, quae res theologicas concernunt. „Non negat fidem, nec conclusionem theologicam sed „aliquid ad theologiam spectans et ad res, quae spec- „tant ad pietatem et salutem.”

Quamvis non desunt qui dicant, non esse proposi-
tionem mere temerariam, habemus tamen exemplum
in prop. damn. ab Inn. XI. 23 Nov. 1679, 1) quae
tantum *ut temerariae ad minimum et novae censura*
confixae sunt; imo prop. quae vult velut abusum ex-
tirpari morem, quo velatae asservantur certae imagi-
nes, 2) simpliciter, nulla alia addita censura, „teme-
raria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium pietatem
inducto mori contraria” damnatur.

Sed controversia maxima est, an dari possit propo-
sitio temeraria simul et vera. Et sic quoque de cae-
teris, exceptis tamen, ut patet, haeretica, erronea
et falsa, de quibus quaestio non est.

1) Denz. 1084. 85.

2) Pist. 72. Denz. 1435.

Ut autem rem bene intelligamus, monendum est, propositionem temerariam a multis distingui *in positive* temerariam, quando pugnat contra receptam sententiam Patrum vel Doctorum, ita ut omnes vel fere omnes de illa re convenient.

Privative vero, quando non quidem contradicit huic auctoritati, sed mere ea caret et tantum solo proprio judicio sine auctoritate et ratione sufficiente excogitata est.

2) Sententia temeraria *in se*, vel tantum *per accidens* i. e. ratione temporis, loci, personae aliarumque circumstantiarum. Sic e. g. doctrina Galilei, prout ista ab illo proponebatur, revera erat temeraria in astronomia, nunc vero est apud omnes certa.

Qui temerariam simul veram posse dicunt, non intelligunt temerariam *in se*, sed tantum *per accidens*: et sic damnationem intelligunt, quod infallibiliter quidem sit temeraria, non vero falsa. Et ratio eorum, quod vi definitionis tantum declaratur temeraria, non vero falsa; non repugnat quoque ex ipsa natura temeritatis, quod sententia sit temeraria, quamvis in se vera; et multa exempla allegant propositionum quae potuissent sic damnari non tamen sunt usque adhuc.

Sic Emin. Gousset ut piarum aurium offensivas allegat: „Petre, qui negasti fidem — S. Augustine, qui vixisti in concubinatu, ora pro nobis.”

Sed etiam si damnandi tales sententias possibilitatem quis crederet, necessario tamen *ad sensum auctoris* recurrendum esset. Si e. g. qui fidem negaverat vel peccato luxuriae se inquinaverat, tali modo oraret, imprimis eorum Sanctorum auxilium, ut resurgeret, implorando, qui ipsi fragilitatem humanam in hoc experti essent, non video id culpandum. Sensu vero, quasi sanctus simul et apostata (non poenitens) quis esset, et aliis id generis motivis propositio prolatâ simul est falsa.

Et deinde sententiam a Concilio Viennensi editam, qua probabilius declaratur opinio quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo gratiam et virtutes, allegant. Si vero eo ipso esset vera, concilium declarasset illam simul et probabiliorem et unice certam: ergo et probabiliorem et non probabiliorem; probabilitas enim et maxima certitudinem excludit.

Et tandem quod Pontifex potest prohibere quod sententia falsa impugnatur et odiosa qualificatione perstringatur patet ex decreto Pii V, quo tam sententiam propugnantem Immaculatam Conceptionem quam ei adversantem ulla censura notari vetuit.

Non tamen omnes hujus sententiae patroni eisdem rationibus moti sunt et inter eos ipse Card. de Lugo fatetur, pie credi non posse sententiam damnatam esse veram, licet vi damnationis non sit falsa.

E contra alii id prorsus negant, ut Suarez, qui in definitione damnabilis propositionis dicit: „quae non solum falsa est in latitudine humanae opinionis, sed etiam aliqua peculiari censura..... digna est. Nam propositio vera *ut per se notum est*, non potest esse damnabilis: omnis ergo propositio damnabilis falsa esse supponitur.”

Nostro judicio rem sic componi posse putamus, considerando nostram definitionem quoad substantiam communiter acceptam. Ex illa videmus quod distinctio privative et positive inter temerariam in re non habet fundamentum, et revera inveniuntur auctores, ut Hurtado apud Suarez l. c. qui privative temerariam revera esse temerariam negant. Et ipse de Lugo putat re non differre quia non *existunt mere* privative, quia licet Patres et Doctores forsitan non explicite et in particulari de ea re locuti sunt, tamen implicite et in communi sensum suum satis aperuerunt. Et liceat mihi unum afferre exemplum, quod Canus temerarium vocat: „Joannes Euangelista fuit in utero matris sanc-tificatus.” Licet nunc nullus de hac re locutus sit sive Patrum sive Doctorum, possumus nos ideo dicere hoc non repugnare sensui Patrum? Nonne Patres et Theologi ex communibus principiis quae generaliter ponuntur, et ex modo quo de singulari privilegio B. M. V. Imm. Conceptionis, de S. Joannis Baptiste

et Jeremie in utero sanctificatione, extraordinario modo facta, ut de exceptionibus disserunt, non satis suum manifestaverunt sensum de aliis hominibus? Quare optima traditur regula a Cardinale de Lugo ad discerendum, quid sit contra Patrum doctrinam: „attendere nimur ex doctrina Patrum et Doctorum quid dixissent de ea re interrogati.”

Si igitur certum est, eos negavisse illam doctrinam, tunc revera est temeraria, si dubium, non temeraria dici potest.

Sed distinctio quoque temerariae in se et per accidentem parum utilitatis videtur.

Agitur enim non de re omni temeraria, sed de theologica censura, quae ut ex ordine, quo posita sunt censurae e. g. in prop. Pist., intelligitur, gravior est quam simpliciter falsa, et qua notatur doctrina, quae vel explicite vel implicite sensui Patrum et Doctorum contrariatur; et licet omnes in contrariam sententiam convenient, non ut in certam, sed tamen omnino probabiliorem, non est credibile, ait Suarez, tot Patres sine ratione cogente vel sacro testimonio conspirasse. Sed praeterea hic loquimur de propositione ut tali non a viro aliquo docto, nec a Congregatione quidem romana aliqua, ordinaria sua auctoritate, sed ab ipso Pontifice ex cathedra damnata. Missa ergo hac ratione, quod propositio temeraria semper est falsa, utpote

tamquam certum proponens quod non est, non vide-
mus, quomodo propositio non in se, sed tantum acci-
dentaliter temeraria, doctrinae catholicae vel bonis
moribus sic nocere posset, ut non sufficeret mandatum,
hanc rem in his circumstantiis non esse tractandam, sed
opus esset solemni reprobatione; cuius rei certo certius
nullum exemplum exstat. „Quando enim Pontifex, ut
merito dicit Viva, definit propositionem temerariam,
scandalosam, id definit pro quovis tempore futuro, unde
nequit hujusmodi propositio veritatem continere, cum
non possit pro quavis circumstantia carere fundamento
gravi sententia vera.” Proindeque vi definitionis qui-
dem non intenditur, falsitatem declarari, sed ex eo quod
sunt temerariae etc. certe sunt falsae, quum non pro
hoc tempore, sed simpliciter sunt tales declaratae. Nam
propositiones verae possunt esse temerariae, scanda-
losae etc. Sed quam Pontifex declarat esse temerariam
eo ipso certo est falsa. Magnum enim disserimen
tercedit inter eam propositionem, quae expresso judicio
Romani Pontificis ex Cathedra loquentis asseritur te-
meraria, et inter eam, quae censemur temeraria judicio
privati Doctoris. Etenim expressum judicium Romani
Pontificis habet duo, quibus caret privati judicium,
nempe certitudinem et *perpetuitatem*. Pontifex enim
cum ex Cathedra loquitur et negat probabilitatem
opinionis et affirmat eam esse temerariam, id docet

Ecclesiae in perpetuum tanquam doctrinam omni tempore sustinendam. Et ideo non dicit solum, quod de praesenti nullum pro ea appareat fundamentum grave, sed quod nec unquam apparebit et quod semper temeraria reputanda est. Quare reliquit omnimodam desperationem de ejus probabilitate, aut de ablatione temeritatis, quam secum portat propositio.

„Si a parte rei vera esset propositio scandalosa (ait Cardenas l. c. cap. X. a. 2) a parte rei esset licitum objectum et solum ob ignorantiam esset illicitum, ergo cathedra Romana erraret si objectum a parte rei licitum damnaret ut illicitum.” Et quod auctor ille pro suo scopo tantummodo de scandalosa dicit, eo nos uti possumus magis universaliter pro omni propositione damnabili et sic solvimus primum argumentum:

Propositio non probabilis potest esse vera.

Ergo propositio vera, dum latet nos fundamentum ejus probabile, potest esse temeraria etc.

Distinguo majorem: Propositio quae talis est iudicio privati, — conc. Judicio Summi Pontificis — nego.

Distinguo consequens: Ergo propositio vera potest esse temeraria — a parte rei, nego. Supposita existimatione falsa hominum, concedo. Quando autem Romana Cathedra damnat, non nititur in falsa hemi-numin existimatione, sed in ipsa veritate rei ex securitate assistentiae Spiritus sancti. Facile concedimus,

declarationem majoris probabilitatis rem non ex finibus probabilitatis extrahere, ideoque contrarium non certo falso esse vi definitionis, quamquam pie credi potest et debet quod Deus non permetteret, Ecclesiam falso declarare ut probabilius, cum post talem definitio- nem fideles omnes passim illud probabilius sequantur et ideo magis certum inde fiat, licet consensus tantum sit ut in probabilius. Ut de facto sententia illa, qua definitur probabilius „et in parvulis baptizatis vir- tutes infundi”, nunc ex verbis Trid. sess. 6. c. 7. certa videtur. Sed talis definitio majoris probabilitatis et multo minus prohibitio se invicem censurandi, quae in bonum pacis et ad vitandas discordias, non in gratiam veritatis, quandoque a Summis Pastoribus feruntur, nomine censurarum non veniunt et argumenta in hac re esse non possunt.

H. *Falsa*. Haec censura, (quae multipliciter occurrit inter alias in Bulla „Auctorem Fidei” prop. 28. 30. 35. 36. 37.) videtur, inspectis praesertim damnatis ista censura sententiis, non quamcumque propositionem non veram denotare, sed falsitatem apertam et enor- mem, licet fallaci modo verbis astutis prolata sit. Caeterum animadvertendum falsitatem illam semper intelligi cum addito: in theologia; de disciplinis enim humanis, qua humanis, non judicat Ecclesia, sed

quisque videt quam facile etiam res falsae in illis materiis Ecclesiae judicio subesse possunt propter connexionem intimam cum theologia. Sic prima pars prop. 4. Jansenii: „Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos „actus, etiam ad initium fidei” est historice falsa, cum semipelagiani id negantes docuerunt aliquod initium boni operis in nobis praecedere gratiam, cuius intuitu Deus largiretur fidem. Talis corruptio historiae alicujus haeresis necessario falsam interpretationem doctrinae adversus eam ab Ecclesiae Doctoribus vindicatae et a Pontificibus et Conciliis stabilitae et definitae inducere debet, sicut et in secunda illius propositionis citatae parte videmus: „et in hoc erant „haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui „posset humana voluntas resistere vel obtemperare” quod aperta haeresis est. Adscribendo illis doctrinam catholicam, et dicendo illos ob eam ut haereticos ab Ecclesia esse damnatos, falsificata historia, non tantum propugnatur haeresis sed doctrina catholica simul ut jam antiquitus damnata perhibetur.

I. Hae censurae *modales*, uti vocant, interdum sunt. Cum theologi, aestu disputationis abrepti, sententias adversariorum probabiles vel saltem nondum damnabiles, contumeliosis nominibus et censurarum

conviciis prosequabantur, non raro Pontifices suam interposuerunt auctoritatem, ne deinceps haec lis moreretur, vel ut saltem disputantes de inurendis censuris abstinerent. Sed hic prudens Pontificum agendi modus proprie censura non est, sed tantum quando longius procedunt et doctrinam illam, quae falso imponit sententiae cuidam ignominiosam denominationem, quatenus falso censurantem, sua suprema auctoritate et ipsi competenti nota configunt. Et jure merito, nam et talis propositio, quae aliam sententiam temere notat censura, suam habet falsitatem, pertinentem ad theologicam disciplinam. Sic e. g. prop. 26 Pist., explodens doctrinam de limbo puerorum velut fabulam pelagianam, damnatur ut falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa. Hac censura directe, ut patet, non condemnatur sententia, limbum puerorum non admittens, sed tantum *modaliter* in eo, quod contraria inique damnat. Negari tamen non potest, ut mihi videtur, indirecte vi damnationis aliquod robur et auctoratis vim illi contrariae addi. Nam si falsum et temerarium est asserere, e. g. doctrinam de limbo puerorum esse excogitatam a pelagianis et inducere locum medium, imo hoc dicere injuriosum est in scholas catholicas, exinde concluditur, quod doctrina illa non tantum illis incommodis originis pelagianae et sequelae loci medii non premitur, sed quoque ad mi-

nimum satis communiter docetur; alias enim non posset dici illius censura injuriosa in scholas catholicas.

J. *In Globo.* Postquam Patres Constantienses multos articulos, non apposita cuique censura, sed adjectis omnibus toti propositionum seriei condemnarunt, deinceps Summi Pontifices plerumque hunc modum servarunt. Non tamen Constantiense primum fuit, quod in globo damnationem suam edidit. Antiquitus enim nunc sub hac nunc sub alia forma hic usus invaluerat. In Synodo Nicaenâ cum Arii scripta, nempe Thalia, condemnarentur, non omne, quod in iis continebatur, eadem ratione reputatum est. In condemnatione Origenis operum a Theophilo, Epiphanius, Anastasio Papa, certe non omnia, quae scripsit Origenes, eodem modo improbata sunt. Et in trium capitulorum condemnatione in V oecumenica Synodo non totae literae Ibae ad Marim Persam, non Theodori Mopsuesteni et Theodoreti adversus Cyrillum scripta in omnibus suis partibus eadem censura digna visa sunt. In sexto generali Concilio literae, quas Honorius Sergio et Pyrrhus Constantinopolitanus Joanni Pontifici IV scripserat, condemnatae sunt; quis vero similiter ea omnia, his scriptis contenta, proscripta esse credit? (Vide Hergenröther. Kathol. Kirche u. Christ. Staat. XV. De Syllabo. Devoti. l. 4. t. 7. § 6.

n. 4. ed. Gandae 1822.) Ordinarie autem singulae propositiones, sic, ut ajunt, in globo damnatae, saltem unam ex istis in fine appositis censuris merentur, et quamvis ita non certi sumus, quanam ex istis unaquaeque inusta, scimus tamen nobis ab omnibus abstinendum esse et etiam a singulis, utpote aliquam deordinationem in fide, si non gravissimam, continentibus. Sed quamvis plerique auctores sic generatim dicant omnes hujus elenchi propositiones esse damnabiles, ego tamen existimo caute inspicienda esse verba Pontificis talem elenchum damnantis. Nam certe sic rem se habere dubium non est, quando ille istam seriem prohibet „ita ut quicumque illas, aut *conjunctionem* aut *divisionem* docuerit.... ipso facto incidat in excommunicationem (Alex VIII. decret. 24 Aug. 1690) vel „statuit et decrevit.... propositiones et *unamquamque ipsarum esse damnandas*” (Innoc. XI. die 2 Martii 1679.)

Sed non semper ita damnatio sonat, sed ut in decreto S. Congr. Inq. 1761. Clemens XIII: „folium... et theses damnat et prohibet, *tamquam continentia* propositiones, quarum *aliquae* sunt respective falsae, temerariae, etc.” Itaque, ut concludit S. Liguorio (l. 1. tract. 1. de Consc.) non fuit damnatum folium et theses quoad omnes propositiones in illis contentas sed tanquam continentia propositiones, quarum aliquae

sunt respective falsae. Quamvis ergo S. Doctori compertum esset, licet omnes theses proscriptae fuissent, minime tamen damnatas esse omnes harum thesium propositiones, dubium tamen illi remanebat an damnatis sic in globo folio et thesibus, damnatae essent singulae theses in particulari, an duntaxat aliquae earum. Et ex s. congregationalis declaratione, cuius jussu in Indice scribebatur: „*Plagula undecim thesium*” et ex responsione sibi data ab Inquisitoribus et Card. Poenitentiario constat, primam propositionem nec quoad primam nec quoad secundam nec quoad ultimam partem fuisse damnatam. 1)

Generatim igitur in tali judicio, ut, quid credere oporteat certum sit, ipse verborum tenor attendendus est. Ubi notae singulae cuique propositioni inurantur, haec propositio talis esse credenda est. Si vero propositiones in globo damnantur, tenendum est, nullam esse

1) Thesis illa, ut apud S. Lig. l. c. legitur aperte mutilata est, sic enim sonat: „*Probabilismus noster versatur circa haec tria: Licet sequi aequa probabilem pro libertate, relicta aequa probabili pro lege. Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.*”

Omissum fuit, ut ex S. Doctoris verbis ibidem colligendum est, primum theseos membrum „*Licet sequi opinionem probabiliorum pro libertate, relecta minus probabili pro lege.*” cfr. *Lucius Ferraris v. Opinio probabilis.*

e notis, quae alicui e propositionibus enumeratis non conveniat. An nulla ex his propositionibus ex attributis respective notis immunis sit, ex decreti tenore hauriendum est: quod ordinarie quidem locum habet, sed non necesse est, cum totus complexus propositionum damnari possit, quin ideo omnis propositione, seorsum sumpta, necessario damnata vel etiam damnabilis sit oporteat. Sic etiam satis est, si libri ut haeresim, errorem etc. continent, damnentur, quando aliquid in iis has censuras meretur; si simpliciter sine notis adjunctis damnantur, sufficit aliquid in iis damnabile inveniri, nisi expresse doctrina reprobata assignetur. Imo hoc quoque procedit, licet Pontifex narret solummodo, quid theologi interrogati judicaverint, ipse vero in suo judicio id non expresse confirmat. Nam si theologorum judicium suum facere voluisset, id non mere retulisset, sed in ipsum decretum receperisset.

Haec satis superque dicta videntur de censuris; et missis rebus caeteris, minime profuturis, ad illud nos festinamus, quod probandum suscepimus. Necesse tamen nobis fuit haec omnia discutere, quamvis minime languentibus circa quaestiones et pugnas verborum; alias enim singulis passibus nos retenti fuissemus difficultatibus et cavillationibus ex his rebus desumptis. Nunc vero, nulla compede obstricti, progredimur ad caput praecipuum, in quo probatur in ejusmodi censuris Infallibilitas.

C A P U T III.

**De Dote Summo Pontifici ex Cathedra docenti concessa,
infallibili iudicio sententias doctrinae fidei aut moribus
adversantes proserbendi et damnandi censuris
inferioribus.**

Thesis I. Divina ex revelatione colligere possumus, Christum, auctorem et consummatorem nostrae fidei, collata divinitus infallibilitatis dote voluisse, ut summus Pontifex ex cathedra docens, non solum quum propositiones aliquas damnat tanquam haereticas sed etiam quum eas censurâ quadam minore perstringit, ab errore esset immunis.

I. Argumenta ex iis Scripturae locis, quae Ecclesiae infallibilitatem probant.

1. Matth. XXVIII. 16: „Data est mihi omnis

potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi."

Solemni modo Christus plenitudinem suae potestatis declarat, eamque ad docendum perpetuo, sine intermissione et omnibus, tribuit suis apostolis eorumque successoribus. Illius divinae potestatis in hoc munere participationem dat nulla limitatione circumscriptam, sed suam sempiternam assistentiam promittit docentibus servare *omnia quaecumque* mandaverat.

Atqui ad servandam integritatem fidei, custodendum fidei depositum, necesse est non tantum repellere errores directe oppositos sed etiam, ut loquitur apostolus ad Timotheum „devitare profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.” Experi entia enim constat per errores, qui stricte non sunt haereses, multo facilius oppugnari Depositum fidei et animos fidelium corrumpi. Ab aperta et notoria haeresi omnes abhorrent, sed venenum illud occultius latens, liberius perfunditur et illud semel assumptum fidem infirmat, et progrediendo denique totam destruit, non absimile illis morbis, primo non mortiferis, sed vires sanitatemque paulatim sed semper magis magisque conterentibus minutatim, et tandem mortem

non subitaneam sed tamen non minus certam afferentibus. Christus vero in illo loco se perpetuo adesse Ecclesiae suae docenti promisit; ergo nunquam etiam talem, si sic dici fas est, minimum errorem docere potest, at se contra illum aequa ac contra maximum opponere debet ad servanda omnia, quaecumque mandavit Religionis divinus Fundator.

2. Nec minus clare illud promittitur apud Joannem XIV. 16. seq. quia „Spiritus Veritatis docebit *omnia* et suggesteret *omnia*” (cfr. XV. 26. seq.) et XVI. 13: „ille Spiritus veritatis docebit *omnem* veritatem.” Nam si tam generaliter, tam illimitate in omnibus promittitur Ecclesiae docenti Spiritus ille veritatis, et nihilominus illa deflecteret in aliqua veritate cum Fide intime connexa, et antemurale constituenta fortissimum et necessarium ad defendendum Fidei arcem, nonne tunc dicenda esset corruisse solemnis Christi promissio Veritatis Spiritus in aeternum mansurae assistentiae?

3. Et ad Timotheum III vocat apostolus divino afflatus Spiritu „Ecclesiam Dei vivi, columnam et firmamentum veritatis.” Sed si recte apostolus Ecclesiam absolute et sine addito columnam et firmamentum apellat, non solummodo in se firma et inconcussa stare debet et habere et conservare veritatem revelatam, sed ut omne bene ordinatum firmamentum, talis a Divino Fundatore constituta columna debet fulcire,

sustentare, firmare veritatem. Si ergo Ecclesia non posset defendere veritatem damnando doctrinas, illam veritatem revelatam licet indirecte oppugnantes, et arcere quidquid ad minuendam, obscurandam et deprimendam revelationem nata est, non haberet illam vim sustentandi, corroborandi, firmandi, fulciendi veritatem commissam; non esset columna et firmamentum veritatis. Et si nihilominus docendo et damnando interdum erraret in rebus cum revelatione intime connexis, potius esset fulcrum, statumen erroris, inducendo imo cogendo fideles assensu interno complecti errores. Sed, si hisce oraculis confectum est, Ecclesiae magisterium hac infallibilitatis extensione gaudere, consequitur hanc praerogativam, reperiri debere in romano pontifice, prout in humano etiam individuo caput in se continet, quidquid in membris excellentiae invenitur. Imo potius quodam modo penes illum residere dicendum est: cum enim exoriantur illa dubia, et pullulant in dies tales errores, non congregandi vel interrogandi totam Ecclesiam facultas invenitur, et si inveniretur quodnam tempus non tereretur, in quo impune grassari et pretiosas perdere animas possent? Caeterum nostra deductio quoque firma et inconcussa convincitur ex vaticano canone: Romanum Pontificem *eadem* pollere infallibilitate, qua divinus Redemptor suam Ecclesiam instructam esse voluit.

II. Argumenta ex iis Scripturis locis, qui romani pontificis infallibilitatem adstruunt.

Primum illud est, quod legitur Luc. XXII „Simon, „Simon, ecce Satanus expetivit vos ut cribaret sicut „triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat „fides tua, et tu aliquando conversus confirm a fratres „tuos.”

Futurae ergo temptationi Satanae et ejus satellitarum (hominum depravatorum, qui non satis habent, semetipsos perdere sed et alios a recto vitae tramite in interitum perducere student, quod turmatim et secundius per fidei corruptionem perficiunt,) Christus remedium prospicit in speciali oratione pro Petro, ejusque successoribus, ne deficeret fides ejus et confirmaret fratres suos. Jam vero si Petrus seu romanus pontifex infallibilis non est seu deficere posset fides ejus, dum publico magisterio fungitur etiam in iis dogmaticis decretis, de quibus agimus, dicendum foret et Christi orationem inefficacem fuisse et sufficienti remedio Eum Ecclesiae nequaquam consuluisse. Nam, ut vidimus, multoties illi errores gravius nocere possunt quam haereses, proindeque Satanus posset cribrare sicut triticum et Petrus tamen non posset confirmare fratres suos, cum et ipse in his deficere posset. Sed et Christi oratio prorsus inefficax foret, nam certe vi illius deberet errorem et deceptionem totius Eccle-

siae in judicando honestum, quod in honestum, et turpe, quod bonum esset, impedire. Sed si Pontifex prohibet fidelibus assertionem aliquam ut erroneam etc. et fideles proinde debent se ab illa cavere tanquam ab erronea, necesse est, ut judicent turpe esse amplecti doctrinam et quidem tali gradu turpitudinis, qualis reperitur in amplectanda erronea. Itaque declarando aliquam doctrinam erroneam, quae talis non esset, eo ipso faceret, quod fideles fugerent eam doctrinam ob turpitudinem erroris in eo falso apprehensam, ideoque deciperentur judicantes, eam turpitudinem peculiarem esse in assensu talis doctrinae, cum revera non esset. Et non solum non impediret errorem, sed causa erroris esset et confirmaret fratres in errore successor Petri, et quidem ita, ut si quis errorem non amplectetur, maximis poenis ad id adigeretur et contumacia illius gravissimo excommunicationis vinculo reprimeretur.

Clarissimus alter apud Matth. XVI. 17 locus inventur. „Beatus es, Simon Barjona, ... et Ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam.”

Illis verbis Salvator Ecclesiam suam comparat castello, undique a potentissimis hostibus, nempe potestatibus infernalibus, daemone ejusque potestati

obnoxiis, oppugnata. Illi hostes pugnare possunt, sed Ecclesia, ait S. Augustinus (serm. ad Catech. n. 14) expugnari non potest. Quare? quia sapientia divina sapiens architectus et opifex eam non super arenam exstruxit ut homo ille stultus, cuius domus cecidit ex flantibus ventis et irruentibus imbribus, sed super Petram in se firmam et firmantem domum supererstructam. Nam „vir sapiens aedificavit domum suam „super Petram, et descendit pluvia et venerunt flumina, „et flaverunt venti et irruerunt in domum illam et non „cecidit, fundata enim erat super petram.” Math. VII.

Sed inter omnes hostes Ecclesiae robustissimus et perniciossissimus est ille, qui turmatim animas pretiosio Christi sanguine redemptas in infernum detrudit, nempe haeresis. Sed illa haeresis si non aperte se statim prodit et velut callidus serpens latet sub herba, ideo non minus est accensendus portis inferi, sed eo pestilentius est venenum suum et eo facilius homines imprudentes, qui, si non lateret, statim fugerent, nunc perdet. Nam ex temeritate ad errorem passus est unicus, et qui hodie opinatur pertinaciter erronee, cras logica necessitate est haereticus. Et si forte eo non progrederetur, quid prodest animam suam ab haeresis macula servare sed tamen eam alio contra fidem peccato gravissimo inferni faucibus deglutiendam tradere. Nonne Christus uti stultus architectus

traducēndus esset, qui contra apertam et gravissimam procellam suum aedificium quidem defensurus elegerit Petram firmam et solidissimam: sed contra conatus, minus violentos et tantum paulatim fundamentum et domum destruentes, Petram illam inermem et fragilem reliquerit? Et tamen ita faciunt, qui volunt infallibilitatem Romani Pontificis ad fidei dogmata stricte dicta restringere, quamvis nullo exegetico jure id confiant. Omnino enim, nullo facto discrimine sive pugnae violentae sive callidiose per insidias structae, omnino et illimitate Ecclesiae invincibilitatem promittit Christus, ex eo quod est superstructa supra Petrum: „Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam.”

Tertium denique oraculum tradit Joannes XXI: „Pasce agnos meos... pasce oves meas.” Illis verbis Christus Dominus Vicario suo Petro et in ejus primatu successoribus tradit officium non solum agnos, i. e. fideles, sed etiam eorum matres pascendi, i. e. in vita christiana instituendi et conservandi et praesertim verae a Christo demandatae doctrinae pabulo nutriendi. Sed cum hoc officio necessario connectuntur media necessaria et ille qui habet hoc munus sibi divinitus commissum, non caret gratiis et auxiliis opportunis, cum Deus omnia charismata donat, quae officio necessaria sunt atque illud copiosius decorant.

Jam vero si Romanus Pontifex in publico suo ac solemnni magisterio, cum „pro pastorali cura ovium a Christo D. sibi commissarum de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere et pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare” (Alex. VIII. in damn. 31 prop. 7 Dec. 1690) saluberrima pascua a noxiis secernit, „ne oves pretioso Christi sanguine redemptae pravarum „opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod „praecipue Beato Petro mandasse Sacrae Literae dicent: „cui enim apostolorum nisi Petro dixit: Pasce oves „meas”? (Innoc. XI. proscriptib⁹ 68 theses de Molinos)— si, inquam, Romanus Pontifex in hoc errare posset, nonne universum gregem in errorem duceret? Restat igitur ut dicamus, quod si Christus nobis praeceperit, ut magisterio Petri nosmetipsos subjiceremus, Petrum Vicarium suum infallibilitate in his omnibus donasse, quibus tuto prospiceret fidei nostrae integritati, alioquin in errores tam arcte cum fide cohaerentes necessario induci possemus. Accedit quod alias non esset amplius pastor, qui oves pasceret, ac per viam duceret tutam, sed forsan inobedientes pastorique resistentes oves semitam tenerent rectam et illae tunc resistentia et inobedientia pastorem pascerent, ac omne, quod in illis erat, facerent, ut devium illum in viam revocarent. Et tamen ideo laudibus dignae, poenis plecterentur

gravissimis: quod quam absonum est, dictu non indiget.

Thesis II. Traditionis argumenta eamdem rem apertissime convincunt.

Multifarie se prodit de hac re sensus traditionalis Ecclesiae, semper constans et uniformis et auctoritatem Romani Pontificis in judicandis fidei controversiis ita agnoscens, tam verbis Conciliorum et ss. Patrum, quam praxi obedientiae S. Sedis decisionibus praestitae, ut nulli in mentem venire possit, magisterium illud tantummodo esse restrictum ad dogmata fidei definita: sed quisque statim intelliget, quod si textus illi et facta Romani Pontificis probant infallibilitatem, aequo invicto extensionem ad nostram materiam convincere. Ne autem confusio oriatur in seligendis aliis quibus in tanta multitudine argumentis, ea in classes dividemus, in qua distributione id utilitatis est, ut nihil negligamus, quamvis paucissima tantum laudemus.

§ I. *Concilia.*

Prima acie consistunt Concilia, quae maximum traditionis incorruptae et fidei illibatae testimonium faciunt; in quibus enim episcopi, a Spiritu Sancto positi, authentici testes sunt doctrinae in suis Ecclesiis a Apostolis traditae semperque conservatae fidei. In primis

id patet de Conciliis Generalibus, quae, utpote repraesentantia universam Ecclesiam, in suis sanctionibus totidem produnt solemnia et publicae fidei testimonia. Sed et magnam auctoritatis vim semper habuerunt in Ecclesia, Concilia etiam particularia: nam sunt peculiarium illarum regionum traditionem et fidem testantia documenta: imo non raro, probata a Romano Pontifice, universalis Ecclesiae traditionis ut testimonia habenda sunt. Scio equidem ea, quae ex Conciliis et Patribus posthac afferemus testimonia non ita perspicua esse, ut si sola essent, rem conficerent, tamen non sunt cum contemptu repudianda. Simul enim sumpta, atque cum illis conjuncta facta, in quibus Pontificis, licet de rebus non stricte ad fidem revelatam pertinentibus judicium ferentis, auctoritas invocatur et honoratur, non exiguum pondus probationum efficiunt. Sic enim, ut ex multis aliqua in memoriam revocamus, Liberius ab episcopis quadringtonitis qui Ariminensi formulae euidam subscriperunt, quae, teste ipso Liberio in Epist. ad Episc. Italiae, nullum errorem in proprio suo sensu habebat, sed solummodo suppressione vocis: substantia, arianae haeresi *favebat*, ut illam formulam damnarent, exegit, si in suam et Ecclesiae Romanae communionem recipi vellent 1); sic et Joannes IV

1) Cfr. de Orthodoxia Patrum Ariminensium Wouters. Dissertationes. Lovanii 1869 t. 2. dis. 13. p. 125.

Ethesin Heraclii 1) (638) et Martinus I Typon Constantis Imperatoris anathemate confixerunt, licet illa decreta aperte haeresin non contineant, sed solummodo faverent Monothelitarum errori indirecte, nempe prohibendo formulas tam orthodoxas quam heterodoxas, quum praesertim Typos solummodo nec voluntatem nec operationem unam aut duas in Christo nominari patiatur: sed ut omnes starent Patrum doctrinis et Conciliorum Generalium definitionibus, praecipiat.

Accedit et illud, quod et fides, sicut unaquaeque res, progressu temporum amplificatur gradatim, quamvis non permutetur. Nam imitatur animarum ratio rationem corporum, quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicit, eadem tamen, quae erant, permanent. (Vinc. Ler. comm. 129.) Et in hoc quidem maxime prosunt Ecclesiae haereses, non verum docendo, sed ad verum quaerendum catholicos excitando (Aug. de vera relig. c. 8): quare si doctrina ecclesiastica nullis intrinsecus haereticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara et tam examinata videri fides nostra (Orig. hom. IX. in num. opp. t. 2. p. 296.), imo latent fortasse adhuc in Ecclesia veritates. (Greg. de Val. t. 3. d. 1. q. 1. cfr. Thomas. Sum. Theol. 2. 2^{ae}. q. 1. art. 10 ad. 1. Kilber de

1) Cfr. Alzog. Mainz. 1860. p. 303 et 304.

fide 230. Suarez de fide dist. 2. s. 6.) Primis tamen et sequentibus temporibus, ut scimus, impugnabatur Verbi et Christi divinitas, de Ejus natura et proprietatis contendebarunt, et cum de hac re Ecclesia suam doctrinam clare et nitide aptis vocabulis expressisset, alia via Redemptionis salutiferum opus destruere conabantur haeretici, humanam Christi naturam discutentes. Negabatur vera Verbi Incarnatio, quasi Verbum inhabitasset tantummodo in Christo, non caro factum fuisset: rursus alio modo homo negabatur, quasi divinitas humanitatem absorbusset. Quem errorrem iterum alia forma instaurabant, unam voluntatem et energian in Christo dicentes. Sic et sequentibus saeculis vel aliis verbis antiquos errores recixerunt (Adoptiani); vel systematice, ut sic dicam, se evolventes de Christi relatione ad Spiritum S. egerunt. Quis ergo mirari posset, tum, quum auctoritas et attributa divini Salvatoris nondum in tuto posita erant, et Ipsum Caput Invisibile Ecclesiae variis modis impugnabatur, non tam solemniter de privilegiis Ejus Vicarii, Eum in terris repraesentantis, agi? Quomodo enim superexstructum stabiliri potuisse, cum fundamentum ipsum et lapidem angularem evellere sategebant hostes? Et tempore medii aevi, quum in Republica Christiana summa effulgebat auctoritas, a qua, solis instar, omnis alia mutuare videbatur suam

lucem, oriri interdum potuit quaestio, in quantum „terrestre regnum coelesti regno famuletur” (Greg. M. epist. lib. 3. ep. 65.), sed fides viva et illibata temporum illorum spirituali gladio in sua sphaera limites praefingere nunquam cogitabat.

Argumenti ergo praecipua vis in eo consistit quod, quamvis non expresse de hac re tractantes, semper Conciliorum Antistites magnis eloquiis fidem Petri ejusque successorum celebrant, ut in se firmam et totam Ecclesiam firmantem contra omnes haereses 1) et haereticorum conatus. Et quamvis incompertum non esset eis intimum multarum disciplinarum 2) nexum cum doctrina revelata, sed haereses ex curiositate et nimio scientiae studio ortum suum ducere, non anxie infallibilitatis limites determinant; non solummodo

1) Animadverti hic licet, vocem: *haeresis* tantummodo in posterioribus temporibus suam strictam significationem obtinuisse, quam nunc habet. cfr. Greg. M. epp. lib. XI. ep. 61. opp. t. 2. p. 1147: „Pervenit ad nos, quod sacri illi ordines „eum datione pecuniae conferantur. Et quia haec *Simoniaca „haeresis...*” Imo tempore Paschalis II (1112) investitura haeresis vocabatur, quia ex haereticis solummodo principiis oriri et propugnari potuit. (cfr. Alzog. op cit. p. 535).

2) Tertul. de praescript. c. 7: „Ipsae denique haereses a „philosophia subornantur.” Aug. l. 9. de Trinit. c. I: „In opinionem noxiae falsitatis temeritas inordinata praecipitat.”

in veritate catholica definienda, tamquam dogma, ab omnibus fide divina immediate credendum, aliquid proponentem universae Ecclesiae Petri Successorem infallibilitatis dote praeditum exhibent, sed omnino Illius celebrant sanctam et immaculatam doctrinam. Non quaeramus ergo in illis testimonii vocem: infallibilitatem in censuris, quum ex cathedra loquitur Pontifex, sed rem illa voce expressam. Ad eloquendum enim antiqua dogmata usu Ecclesiae conseruantur cursu temporis voces, quibus nec Scripturae nec Patres usi sunt, ut contra petulantem novitates fides accuratius exprimatur et via paecludatur adversariorum cavillationibus. Sed audiamus quomodo de magisterio Romani Praesulis loquantur.

Patres enim Concilii II Nicaeni, ore Tarasii Episcopi Constantinopolitani, (Mansi XIII 460 Flor. 1768) ad Papam scribunt: „[Apostolorum] deiloquam „doctrinam sancti Patres nostri, qui hujus pastores „et custodes per singula fuere tempora, suscipientes, „zizania, id est, haereses et novitates, addititias atque „introductas radicitus exciderunt, et messem mundum „arvo conservaverunt. Vestra ergo fraterna et summo „pontificio decorata sanctitas cum his per deiloquas „suas doctrinas quodammodo sermocirata et ab eis „accepto veritatis verbo, spinosas herbas evellere ma- „chaera spiritus festinavit. Et cum praelatae primitus

„vestrae sanctitatis literae legerentur, praestolabantur
 „omnes spiritualibus eduliis tamquam in regalibus
 „coenis fruentes, quae Christus per literas tuas epu-
 „lantibus praeparabat et *sicut oculus totum corpus ad*
 „*rectitudinis et veritatis semitam ostendebas καὶ ὡς*
 „*ὅφθαλμος τῷ οὐρανῷ σωμα προς τὸν τῆς ὄφεως καὶ*
 „*ἀληθείας τῷ βούνῳ ὑπεδεικνυεσθαι.*”

Sic quoque Patres Constantinop. IV Oecum. VIII
 subscriptentes testantur: „in Sede apostolica inviola-
 bilis semper catholica custoditur religio. Quapropter
 „sequentes in omnibus sedem apostolicam, et praedi-
 „camus omnia quae ab ipso decreta sunt; et propterea
 „speramus in una communione vobiscum, quama postolica
 „Sedes praedicat, nos futuros; in qua est *integra reli-*
 „*gionis et perfecta soliditas*, promittentes in sequenti
 „tempore sequestratos a communione Ecclesiae catho-
 „licae, id est in omnibus non consentientes Sedi apos-
 „tolicae, eorum nomina intra sacra non recitanda esse
 „mysteria.” (Labbe t. IV. C. 1486 ed. Par. 1671).

Si in Sede apostolica semper *inviolabilis* catholica
 custodiatur religio et *integra et perfecta religionis*
soliditas, impossibile est errare sequentes in omnibus
 Sedem apostolicam.

Et si sequestrari a communione Ecclesiae catholicae
 et non consentire in omnibus Sedi apostolicae sit quid
 unum et idem, sequitur, decretis de rebus fidei et fidei

connexis adhaerentes non posse in errorem deflectere, quum tamen ii, qui illis judiciis obedire detrectent in quacumque censura (*in omnibus*), a communione Ecclesiae excidant.

Et Lugdunense II Concilium „S Rom. Ecclesiam „summum et plenum primatum super universam Ecclesiam obtainere, quem se ab ipso Domino in B. „Petro, apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine „recepisse veraciter et humiliter recognoscit: et sicut „prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, „si quae de fide subortae fuerint quaestiones suo debent „judicio definiri.” (Labbe XI. col. 960.)

Quod autem ex his verbis legitime deduci potest Romani Pontificis etiam infra supremam haeresis notam Infallibilitas, facili negotio evincitur. Etenim si revera sit cum potestatis plenitudine instructus Rom. Pontifex et veritatem fidei defendere et omnes subortas quaestiones suo iudicio definire debeat (ad hoc enim faciendum, ut jam probavimus, censuras et inferiores ferre necesse est), obligare potest fideles omnes ad standum et obediendum suis circa fidem sententiis: seu quod idem est, tenentur fideles omnes R. Pontifici, judicanti ac decernenti, obedire ac prouinde profiteri ac tenere, quod praescribit. Sed repugnat obligatos a Christo fuisse fideles, reputare errorem etc. quod esset verum; ergo

falsa nequit esse censura, quam ut talem tenendam decernit Pontifex.

Florentinum definivit: „Pontificem Rom. omnium Christianorum doctorem existere, et ipsi in B. Petro „pascendi a Domino J. C. plenam potestatem traditam „esse” (Labbe t. XIII. c. 515).

Et Constantiense in condemnatione propp. Wicleffi, sic interrogat: „Quomodo igitur ipsa (Rom. Ecclesia) in „omnibus tamquam magistra sequenda, ad quam in „dubiis et arduis recurrendum, quando circa fidem in „aliquo dubitatur.” . . .

Immerito R. P. diceretur omnium Christianorum *Doctor, ipsique pascendi*, i. e. docendi, *plena potestas tradita*, et *magister in omnibus sequendus*, *ad quem in dubiis et arduis recurrendum, quando circa aliquod dubitatur*, si falsam doctrinam, cum fide intime connexam, docere posset. Tum enim non esset fidelium doctor et pastor sed peremptor. Praeterea hoc ipso, quod Christus R. Pontificem cunctis Christianis Doctorem ac Pastorem constituerit, obligatos omnes voluit ad excipiendam et sequendam doctrinam ab isto Doctore et Pastore traditam. Omnes igitur tenentur praedicatam a R. P. doctrinam recipere, sed repugnat talis obligatio si R. P. errorem docere valeat, ergo infallibilis sit op̄ortet etiam in infra haeresim censuris. Sed forsitan quis contra tam solemnia et nulla limita-

tione restricta testimonia, Vaticani decreti determinatam brevitatem exciperet, quae tamen ex professo de infallibilitate post longam discussionem tantummodo statuit „cum doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit”; nullatenus vero ejus extensionem exprimit, sive circa vel quoad fidem sed *de fide dicendo*.

Et certe nos nullum argumentum pro thesi nostra ex illo canone desumimus, quasi esset jam Concilii illius Oecumenici auctoritate tamquam dogma fidei stabilitum, sed nullo quoque modo in ista formula quid nobis contrarium invenitur, sed infallibilitas Summi Pontificis solummodo ita declaratur, ut de hac re nondum judicium fiat. Id enim jam illud: *tenendum definit* significat, alias enim non doctrinam de fide et moribus tenendam, sed doctrinam de fide et moribus *credendam* ut dogma, vel *fide catholica* dixisset. Imo, ut ex testibus fide dignis audio, in schemate prius legebatur „*de fide catholica*” quae vox: *catholica*, ideo deleta est, ne videretur extensio infallibilitatis, a nobis propugnata, negari: cum Concilium illam rem postea tractandam susciperet; quod et Ill. archiepūs Manning dicit: „Cependant la définition de l'extension de cette infallibilité et de la certitude sur laquelle elle répose, n'a pas encore traitée jusqu'à présent: elle reste pour la seconde partie du schema de Ecclesia.” (op. cit. p.

105). Caeterum, temporum circumstantiis discussiōnum finem exigentibus, sufficiebat declaratio Infallibilitatis: data enim necessitate et solus Papa exten-sionem objecti, nullo contradicente, definire valet; fundamentum enim positum est, pollet eadem cum Ecclesia infallibilitate. (cfr. et hic Ex. Hettinger. Die Kirchl. Vollgewalt des apost. Stuhles. p. 194. n. 1).

§ II. SS. *Patres.*

Quod jam in laudandis Conciliorum testimo-niis ani-madvertisimus, et hic in aestimanda argumenti vi ob-servandum duximus, secundum tritum Vincentii Leri-nensis effatum: „Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapi-entia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eadem sententia” (Comm. c. 27). A prima enim Christianae Religionis aetate viri sanctimonia doctrinaque in asserenda Ecclesiae fide illustres, in celebranda Romani Pontificis auctoritate conveniunt, ut nullo modo nimis superextollendam esse putent, sed magnificentissimis verbis irreformabilia ejus decreta praedicent, si ex potestate sibi in Petro collata „*docendo praecepit.*” (Ign. M.)

Antiquissimus jam Irenaeus l. 3 c. 3. contra haeret. apud Mansi ed. Flor. 1759 t. 1. c. 79 a „maxima et antiquissima , et a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundata et constituta Ecclesia”, repetit, „quod eam , quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem , per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes , possit confundere omnes eos , qui quoquo modo vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam vel per coecitatem et malam sententiam , praeterquam oportet , colligunt.

Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principiatatem , necesse est omnem convenire Ecclesiam , hoc est , eos , qui sunt undique fideles : in qua semper ab his qui sunt undique , conservata est ea , quae est ab Apostolis traditio.”

Sed si infallibilitatem ex his concludere fas est , quare non et illius extensionem in nostro sensu ? Omnes eos , qui quoquo modo , praeter quam oportet colligunt , refutat ille Sanctus ex sententia illius Ecclesiae , cum qua convenire debet omnis Ecclesia. Sed aeque ac haeretici , omnes quoquo modo errantes , ab illius Ecclesiae conventu excluduntur ; cum tamen cum Illa convenire necesse esse praedicat Irenaeus.

S. Cyprianus (epist. 55 apud Ballerini. De vi a ratione primatus c. XIII. § 3) de Romanis praedicit: „ad quos perfidia habere non possit accessum ,”

et in l. de unit. Ecclesiae: „Qui cathedram Petri , supra quam fundata est Ecclesia , deserit , in Ecclesia esse confidit ?” 1) Ergo extra Ecclesiam versatur , qui illas definitiones, de quibus loquimur non admittit, nam illi , ad quos perfidia nequit habere accessum , illos excludunt , qui suas censuras intimo animo amplecti detractant.

S. Ambrosius quoque l. 3 de Sacr. c. 7 apud Ball. § 5) *in omnibus* cupit sequi ecclesiam catholicam.

S. Hieronymus (ep. 130. 16. apud Ball. § 7.) prae-
scripsit Demetriadi: „S. Innocentii , qui apostolicae
cathedrae successor est , teneas fidem” nec haereticam
solum excludit sed „nec peregrinam quatenus tibi pru-
dens callidaque videaris , doctrinam recipias.” Ille
enim clamitat epist. 15: „Si quis cathedrae Petri jun-
gitur , meus est.”

S. Augustinus non suam modo sententiam multis

1) Me non latet , reperiri quosdam criticos , qui textum
hunc saltem dubiae auctoritatis reputant. Quidquid sit de
hac controversia , cuius momenta discutere dissertatiunculae
natura non patitur , nemo qui s. Cyprianum inspexerit , non
facile concedet hisce verbis sententiam a s. Doctore multoties
traditam (puta epist. 73. p. 280; 70. p. 270. 40. p. 102 et
senecentis in locis) clare exprimi et ideo certe id quod illis
verbis exprimitur , omnino esse Cypriani doctrinam. cir.
Möhler. Patrologie. I B. 863.

in locis aperte manifestat, sed et de adversariis suis scribit eos „Innocentii literis non ausos obsistere, immo se *omnia*, quae Sedes illa damnaret, damnaturos promisso (Aug. de pecc. orig. c. 7 n. 8 cf. q. d. Bonif. L. II c. 4 n. 6) et rogasse ut si forte in suis libellis quispiam ignorantiae error obrepst, sua sententia corrigatur (c. 23), cupientes etiam ab illo, qui Petri sedem et fidem tenet et id emendari; *si minus perite aut parum caute* aliquid forte positum esset”. (opp. Aug. t. 10. p. I ed. Migne.)

S. Theodoretus Cyrensis Episcopus epist. 106, Bal-ler. 79: „Illa sanctissima Sedes ab haeretica labe immunis mansit, nec *ullus fidei contraria sequens* in ea sedit, sed apostolicam gratiam integrum conservavit.”

Mennas Constant. in syn. Const. t. 5 Conc. Ven. ed. col. 1058: „Nos apostolicam Sedem sequimur et obedimus... et condemnatos ab ipso et nos condemnamus.”

Alcuinus ep. 70. ed. Par. p. 1593: „Sequatur probatissimam S. Rom. Ecclesiae auctoritatem... ne *claviger regni coelestis* abjiciat, quos a suis deviasse *intelligit doctrinis.*”

Et Hinemarus, Rhemensis Episcopus, qui certe non erat ad superextollendam R. P. auctoritatem in Praef. opuse. de Divertio Lotharii: „*De omnibus dubiis vel obscuris, quae ad rectae fidei tenorem, vel pietatis*

dogmata pertinent, S. Romana Ecclesia ut omnium Ecclesiarum mater et magistra , nutrix ac doctrix est consulenda , et ejus salubria monita sunt tenenda."

Et in libro de Praed. 24: „Puis , devotis atque catholicis *hoc potest et hoc debet* sufficere quod omnium Ecclesiarum mater sancta catholica atque apostolica docet Rom. Ecclesia" (in Patrol. Migne. t. 125. col. 214).

Sed quomodo , quae so , sic generaliter dici posset, in omnibus rebus , etiam dubiis et obscuris , modo ad rectam fidem aliquo modo pertinebant , sufficere non solum posse sed et debere Rom. Pontificis judicium ? Quomodo ab Eo etiam minus caute dicta corrigi possent , et ita quidem , ut damnata ab Eo ab omnibus condemnata haberentur , et qui non obediebant et a coelesti clavigero abjicerentur , nisi et in his oraculum infallibile tota agnosceret Ecclesia. Sic et alia permulta congerere possumus Patrum effata , quibus cum ardore magisterium Petri celebrant , quod per illud omne periculum fidei eliminatur et firmitatem habemus doctrinae , quam sequi oportet. Sed cum illa omnia enumerare nobis non licet , finem facimus , unum tantummodo citantes mellifluum Doctorem , qui ultimus Patrum seriem tantorum virorum non minimus claudit , S. Bernardus , qui in epist. 190 (ed. Mabill. t. 1 649) Pontificem alloquitur : „Oportet ad vestrum apostolatum

referre pericula quaeque et scandala Regni Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Nam, ut arbitratur, ibi resarciriuntur damnata fidei, *ubi fides non possit sentire defectum.*"

§ III. *Universalis et constans theologorum consensus.*

Sanctorum Patrum auctoritatem sequitur Scholae catholicae auctoritas, quae, quamvis non a Christo instituta ad conservandam doctrinam, tamen si unanimiter consentit, non impune deseriri licet. Nam per magisterium Ecclesiae, cui per obedientiam fidei cohaeret schola universa, Spiritus sanctus veram doctrinam in ea conservat „et certe non idem omnes assererent, nisi eodem divino spiritu permoverentur" (Canus 1. 8. c. 4. conc. 2).

Sed ut brevitati consulamus, illos omnes omittamus oportet, qui cum S. Thoma (contra Graecos p. 3. 9. 25. art. 1) docent „Petro et ejus successoribus plenissimam potestatem plenissime commisisse, et nulli alii quam Petro, sed quod suum est plenum ipsi dedisse." Et illos qui cum ejusdem aevi scriptore graeco, Joanne Plusiadeno (dialogus pro Synodo Florentina) ex S. Scriptura: (Pasce... etc.) eruunt, „Romanum Pontificem auctoritatem habere confirmandi, examinandi, dirigendi et corrigendi quae ad fidem

pertinent." 1) Eos quoque, quorum principia facile causae nostrae applicantur, ut, verbi gratia, Bellarminum, qui l. 4. de Rom. Pont. c. 5 ait: „Romanum Pontificem non errare posse in praexceptis morum, quae „toti Ecclesiae praescribuntur et quae in rebus necessariis ad salutem vel in iis, quae per se bona et „mala sunt, versantur." Et in libro 3. de Ecclesia c. 14. arg. 3: „obligamur sub poena anathematis credere Ecclesiae in omnibus... at iniquum esset sub tam gravi poena obligari ad assentiendum rebus incertis et interdum falsis." Ergo non potest errare Ecclesia vel Romanus Pontifex in suo de inferioribus censuris judicio, quod maxime necessarium est ad communem fidelium salutem, ad discretionem bonae et perversae doctrinae: ergo non potest falsum vel incertum esse Romani Pontificis judicium, cui sub gra-

1) Ad doctrinam fidei enim pertinet aliquid dupliciter: uno modo *directe*, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur, quaedam vero *indirecte*, in quantum ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei. s. Thomas lect. 4 in 2 Corinth. c. 11.

Et pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiae errare possit. Divina providentia praeservat Ecclesiam ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. (Quolibet 9. a. 16. ad2.)

vissima poena anathematis consentire et subscribere tenemur.

Sed tantum paucissima inter tanta seligemus testimonia ex illis, qui, postquam magis frequenter mos invaluerat diversas qualificationes apponendi, de hac re loquentes, apertissimis verbis Infallibile Judicium id esse minima dubitatione ab omnibus admissum testantur.

1) Eximii Suaresii († 1617) sententiam colligimus ex sua V disp. de Fide, sect. VI n°. 3 : „Catholica veritas, ait ille Doctor. . . duobus modis „potest conspirare seu convenire in assensu alicujus „rei. Primo credendo illam solum ut probabilem vel „probabiliorum et magis piam: aut in quocumque alio „simili gradu, qui non attingat certitudinem fidei. „Secundo potest convenire credendo aliquid tamquam „certum de fide. . .”

De hoc ultimo agit n°. 4 et seq. et tunc prosequitur n°. 8: „Tertio: Quamvis certum non sit, quae Ecclesia „credit tantum ut pia et probabilia, esse vera: 1) „*si tamen tota Ecclesia in aliqua hujusmodi re con- spirat, tenendum est in eo non errare non solum practice sed speculative.*”

1) Conferantur ea quae de hac re disputavimus, ubi agebatur de prop. temeraria.

Et ne quis sua dicta in sensum alienum detorqueat, addit postea: „Sciendum est autem in his rebus esse gradus, nam quaedam illarum, licet non sint tam certae, ut contrariae sint haereticae, interdum sunt erroneae, quia proxime ad principia fidei accedunt, interdum sunt temerariae propter magnum consensum Patrum cui opponuntur. Interdum vero sunt tantum probabiles vel probabiliiores et secundum eosdem gradus erit magis vel minus certum Ecclesiam in his non errare.”

Id omne ergo de assensu Doctorum asserit, quatenus de conspiratione Ecclesiae, et contestatur itaque, id omne ad infallibilitatis objectum pertinere; quid ergo si Romanus Pontifex de hac re suum judicium profert? Ut magis clara ejus mens nobis fiat, audiamus quomodo sect. 8 de infallibilitate Rom. Pont. agit: „Approbare turpia pro honestis, vel econverso damnare honesta, tamquam turpia repugnat veritati et sanctitati et ideo in his etiam non potest errare.” Et ratio, quam allegat, quod non potest errare in sanctorum canonizatione, aequa saltem militat pro censuris: „Id enim sub praecisa obligatione praecipiunt Pontifices (nempe non dubitare), ergo oportet ut illi praecepto non possit subesse error.”

2) Aequali certitudine doctissimus Card. de Lugo † 1660 in sua de Fide disp. XX. Sect. 3 eamdem doctrinam tradit.

Postquam de singula censura sua subtilitate docte disputavit, de hac re ita loquitur: „Communiter doctores fatentur certum esse Ecclesiae judicium in his „censuris statuendis.” Deinde de gradu certitudinis inquirit et auctores de hac re disputantes citat; Banez contrariam sententiam vocat errorem, Malderus haereticam, Coninch valde probabiliter haereticam, Turrianus errorem. „Ego autem puto,” ait de Lugo, „id vel esse erroneum vel errori proximum, quia infallibilis Spiritus S. assistentia non videtur limitanda ad „ea sola dogmata, quae tamquam de fide proponuntur „et creduntur ab Ecclesia, sed debet extendi ad ea „omnia, quae fideles ex praecepto Ecclesiae credere „tenentur.” Deinde argumentum ex quo theologi colligunt Summum Pontificem non posse errare in decretis morum ad casum praesentem applicat et exinde concludit quod: „non potest decipere Ecclesiam declarando aliquam doctrinam erroneam v.g. quae talis non esset.”

Fusius deinde ostendit Pontificem non egredi e suis limitibus „nam directe decernit de fide et indirecte „circa doctrinas naturales, quando harum etiam coginitio deservit ad doctrinam salutis.” Alia postmodum affert argumenta et tractat quaestiones, quae jam a nobis allata sunt vel alio loco tractantur.

3) Cardenas in sua dissert. proemiali, Crisis Theol. pars IV. art. II. 75 sic habet: „Si Rom. Pontifex

„docens Ecclesiam asserensque propositionem in materia
 „morum esse temerariam, scandalosam, aut improba-
 „bilem, non auferret illi probabilitatem, Rom. Pontifex
 „docens Ecclesiam erraret in materia morum.” Et
 cap. VIII refert auctorum de nostra re sententias: „de
 „Coninck: Mihi cum Maldero valde probabile est esse
 „de Fide eam [Ecclesiam] non posse errare, quia I
 „ad Tim. 3. Ecclesia dicitur columna.... et Joan. 14
 „et 16 promittitur ei Spiritus veritatis sive perpetua
 „assistantia Spiritus S. qui doceat eam omnem verita-
 „tem. Quod videtur non solum intelligendum de rebus,
 „quae proprie sunt de fide, sed etiam de iis, quae ad
 „fidem aliquo modo pertinent, quales sunt illarum
 „sententiarum qualificationes, quarum assertio Fidem
 „aliquo modo labefactare posset.” (2.2. d. 8 dub. 8.
 144.) Tunc alios enumerat, inter quos sunt qui erro-
 neam dicunt, „A qua parum distat Moya t 1. select.
 trad. 3 d. 8 q. 6. n. 22.”

Et art. 2 ipse concludit Cardenas, eum, qui negat,
 reum esse ad minimum propositionis errori proximae.
 „Ad minimum. Ego enim censeo eam propositionem
 „esse absolute erroneam.”

4) Diana † 1663. Tract. de infallibilitate decreto-
 rum Rom. Pontificis extra Concilium res. X. An possit
 Pontifex errare in assignandis censuris propositionum
 praeter haereticas.

Statim de gradu certitudinis inquirit: „An quando
 „Pontifex definit aliquam propositionem esse temerariam
 „etc. sit haereticum, pertinaciter negare illam esse
 „talem, an vero solum sit temerarium. Aliqui affir-
 „mant. . . Sed sic respondet Turrianus in 2. 2. t. I
 „disp. 55. dub. 5: Mihi sane valde certum est Ponti-
 „ficem non posse errare in his censuris: nam certum
 „est in definiendis fidei veritatibus non posse errare:
 „assignare vero has censuras pertinet ad veritates fidei:
 „ergo nullo modo admittendum est posse errare. Et
 „explicatur, quia cum declarat aliquam propositionem
 „esse erroneam, plane definitio pertinet proxime ad
 „fidei veritates, quia propositio erronea est contraria
 „conclusioni deductae evidenter ex principiis fidei, ergo
 „non posset Pontifex errare in hac censura, nisi errans
 „aliquo modo circa fidei veritates et idem judicium
 „est, si declararet aliquam propositionem esse proximam
 „errori vel sapientem haerese. Deinde in aliis cen-
 „suris propositionum quae non ita proxime videntur
 „pertinere ad doctrinam fidei, ut cum dicitur aliqua
 „propositio temeraria, etiam dicendum est errare non
 „posse Pontificem, quia pertinet ad doctrinam, et
 „veritatem rerum religionis christiana, quod si in hoc
 „posset errare, non esset omnino certa definitio circa
 „veritatem fidei, quia posset contingere ut damnaret
 „aliquam propositionem ut temerariam, quae esset magis

„consentanea principiis fidei, quam contraria, quod
 „nullo modo est admittendum et ita existimo esse
 „errorem asserere in his censuris posse Pontificem
 errare.” Tunc citat jam a nobis laudatos auctores,
 Coninch, Lugonem, Bannez, et pergit: „Verum Mal-
 derus in 2. 2. q. 11 a 2. membr. 5. distinguendum
 „putat; dicit enim revelatum quidem esse a Deo Ec-
 „clesiam non posse errare in definitionibus circa doc-
 „trinam, adeoque qui hoc negaret cum pertinacia, fore
 „haereticum. Si autem ipse affirmaret propositionem
 „quam Ecclesia censuit esse temerariam non esse te-
 „merariam sed veram, nisi simul dicat Ecclesiam er-
 „rare in hujusmodi censura, non erit haereticus, sed
 „incurreret in errorem haeresi proximum. Si enim
 „haec propositio non sit temeraria, sequitur aliquid
 „contra fidem, nimirum Ecclesiam errare in definitio-
 „nibus circa doctrinam. Itaque distinguendum est:
 „vel enim qui negat hanc propositionem esse temera-
 „riam, solum intendit dicere, eam esse veram et sic
 „non erit haereticus, etiamsi neverit Ecclesiam deter-
 „minasse quod sit temeraria: potest enim fieri ut non
 „nisi probabile putet Ecclesiam in talibus non posse
 „errare, aut ut neverit quidem Ecclesiam hoc dam-
 „nasse tamquam temerariam et credat quidquid ut te-
 „merariam damnat Ecclesia revera esse temerariam, sed
 „non pertractet illa simul ad concludendum hoc esse

„vere temerarium 1), *vel* intendit sustinere pertinaci-
ter, Ecclesiam errare in censura istius propositionis et
„erit haereticus.”

1) Licet tantummodo auctores et rationes eorum laudemus, ut testimonia consensus in re ipsa, et nihil nobis hic interest, quid de *gradu certitudinis* eorum sit sententia, operae tamen pretium est, hanc distinctionem bene factam ab Maltero ani-
madvertere, ut eorum, quae primo aspectu discordantia vi-
deantur, concordantia facile eluceat. Nam necesse non est,
ut quis propositionem ut erroneam etc. damnatam noscens
et tamen eam sequens, infallibilem damnationem neget:
praeter jam ab auctore citatos easus id clare nos edocet haer-
etici cuiusvis formalis exemplum. Haereticus enim omnis
pertinaciter suae opinioni adhaerere debet. Pertinax autem
dici non potest, qui non argumenta evidentia catholicae re-
ligionis inspexerit. Et tamen haereticus, licet evidentiam
verae religionis viderit, voluntate sua mala magis adhaeret
suae sectae argumentis fallacibus, quia se avertit a veritatis
luce et se convertendo ad suam sectam sua voluntate ejus
argumenta sibi probabiliora facit. Ille ergo, veritatem noscens,
eam tamen non amplectitur. — Sic et ille qui erroneam et
temerariam sententiam tenet, potest tamen scire, se erronee
et temerarie opinari et nihilominus id facere; quod itidem
nullam magis repugnantiam includit quam scientem peccatum
malum gravissimum et abominandum, tamen id ponere:
alias enim omnis peccator simul fidei jacturam faceret, cre-
dendo nempe malum illud esse bonum.

Post hanc Malderi sententiam relatam adhuc adducit Oviédo de fide c. 4. p. 9 n. 124 et alios, demumque concludit ipse: „Dicendum est, Pontificem definientem prop. aliquam esse erroneam, non inniti immediate revelationi, qua illi sit revelatum, talem propositionem esse erroneam, [idem de quacumque alia censura] quia Ecclesia quando damnat hanc prop. ut erroneam non intendit definire censuram ut revealatam, sed constituere propositionem in determinato certitudinis gradu, quem explicat, dum oppositum esse erroneous declarat, unde censura quasi secundario imponitur et id quod primario definitur est doctrina illa, cuius opposita inuritur censura, circa quam nullam revelationem recepit Pontifex, alias eam de fide sua definitione constitueret et oppositam haeresis censura notaret et non solum erroris.”

Deinde de certitudine in definienda quoque probabilitate communem theologorum doctrinam profert, inter caeteros quoque de Salazar (de concept. c. 43.) et Paludanum (in Apol. Const. Urb. c. 10) tamquam sententiae nostrae patronos allegans.

5). Viva (natus anno 1648) Damnatae theses; quaestio prodroma X. haec habet: „Censura propositionum confixarum a laudatis Pontificibus dicenda est a Spiritu S. prodiisse, qui nec fallere nec falli potest. Haec conclusio est pariter fere omnium Catholicorum . . .”

„Probatur ex verbis Christi: Pasce oves meas . . . ex
 „Scripturis . . . necnon ex ratione illa a priori, quod
 „scilicet ad bonum Ecclesiae regimen et ad Ecclesiae sanc-
 „titatem id maxime spectet: quibus accedit sensus com-
 „munissimus Patrum et Theologorum et ipsa praxis
 „Ecclesiae passim per Pontifices extra Concilium pro-
 „positiones in materia morum damnantis et in his
 „decretis acquiescentis non secus ac in decretis fidei.”
 Et XVIII: „de propositione alia [non haeresis] censura
 „notata, v. g. notata ut scandalosa, citra haeresin
 „negari non posse quod sit scandalosa prout ea defini-
 „tur a Pontifice loquente ex cathedra.”

6). Amici (cursus theologicus t. 4. disp. VII de
 fide sect. 1. n. 34) ex argumentis pro infallibilitate
 allatis infert: „Non modo Pontificem errare non posse
 „in veritatibus fidei definiendis, sed neque in contrariis
 „erroribus damnandis, et in propositionibus qualifican-
 „dis, ut quod una propositio sit haeretica, alia erronea,
 „temeraria alia, alia haeresim sapiens, alia malesonans,
 „scandalosa et piarum aurium offensiva. Ratio: ejusdem
 „auctoritatis est, verum definire et falsum reprobare;
 „cum nequeat unum cognosci sine alio, et consequen-
 „ter definiri unum absque alterius reprobatione. Prae-
 „terea sicut ad Pontificis auctoritatem spectat, non
 „modo veritatem definire, sed certos gradus ejusdem
 „veritatis declarare, ut quod propositio sit de fide, tuta

„in conscientia, conformis divinis oraculis, et SS.
 „Patribus, favens moribus, pia, probabilior, etc. uti
 „Clemens V in Conc. Viennensi definivit ut probabi-
 „liorem et dictis Sanctorum et Doctorum Theologiae
 „consonam et concordem opinionem asserentem, tam
 „in parvulis quam adultis, cum Baptismo conferri in-
 „formantem gratiam et virtutes: ita ad eamdem aucto-
 „ritatem spectat oppositos errores declarare.”

7). Lucius Ferraris. Bibl. Can t. VI. verbo: „Papa”
 sic habet: „Loqui Papam ex cathedra nihil aliud est
 „quam ipsum esse a Deo constitutum magistrum uni-
 „versalis Ecclesiae et hujus regulam visibilem indeque
 „auctoritate suprema sui Pontificatus judicare et definire
 „de dubiis fidei, et doctrina morum, ac factis dogma-
 „ticis et sic Ecclesiam docere, quid credere vel agere
 „debeat. Est in re communis. Hinc loqui ex cathedra
 „non arctatur praecise ad ea, quae Papa proponit ut a
 „Deo revelata et a nobis credenda fide theologica, uti
 „quando aliquam doctrinam damnat ut haereticam,
 „vel definit esse de fide, sed insuper extenditur ad
 „caetera, quae proponit seu tenenda seu servanda, uti
 „quando aliquam doctrinam proscribit ut temerariam,
 „scandalosam et hujusmodi.” cfr. ea, quae habet t.
 VI. v: propositio damnata. n. 24.

8). Breviarium Theologicum Joannis Polmanni. (Au-
 gust. Vindel. 1776) sub verbo: Pontifex n. 105:

„Pontifex definit ex cathedra, quando ut Pontifex proponit Ecclesiae in materia fidei et morum aliquid tenendum sub poena anathematis . . . n°. 106. Itaque „Pontifex ex cathedra definiens non potest errare in „qualificatione propositionum fidem concernentium, decernendo v. g. propositionem esse haereticam, erro-neam etc.”

9) a Schelstrate † 1692 de Lugendis Actis Cleri Gallicani 1682. Quaestio an R. P. possit in decreto fidei errare sic distinguit de hac re opiniones: „Romanum „Pontificem errare in fide potest duplíciter intelligi. „Primum quod ut persona particularis possit male „sentire de fide, et esse haereticus. Altero modo, quod „erroneam atque haereticam doctrinam possit publice „sustinere et Ecclesiae decernendo tradere. . . . Duo „sunt extrema falsa. . . . quod nullus Papa potest errare „aut fieri haereticus in propria persona. . . . quod non „solum in propria persona sed etiam in decernendo etc.”

10) Tournelij † 1729 tom. IV. ed. cit. de Censuris a. 1. p. 174: „Cum Ecclesia quasdam propositiones, „uti haereticas, aut etiam erroneas vel temerarias, „scandalosas, sive speciatim, sive generatim et in globo „damnata; judicia hujusmodi vera sunt dogmatica et „tenetur unusquisque persuasum habere, nullam esse „ex iis notam quae in proscriptas propositiones non „cadat.” Et id probat ex agendi ratione RR. PP. et

Conciliarum, et 2º. ex communi et constanti Theologorum doctrina, et 3º. ex Scripturae et Patrum testimoniis, quae infallibilitatem Ecclesiae probant. 1)

11) Pallavicini lib. 1. hist. Conc. Trid. cap. 21. t. I ed. Antv. 1670. p. 76 n. 1519 diluens Suavis argutias contra Leonis bullam adversus Lutherum, animadvertisit, Ecclesiam, quantum lieuerit, semper abstinuisse a declarando aliquo articulo tamquam fidei dogma. „Jamvero quia multae doctrinae homines inclinant in haeresin, aliaque infligunt incommoda, par est eas e linguis ac paginis relegare: atque ad id necesse non esse, ut illa certo Dei verbis repugnant; satis est, si aut gravia extenta indicia hujus repugnantiae, eo quod adversentur seu communi scholae consensui, seu veteribus Ecclesiae usibus, seu sanctorum Patrum auctoritati, aut deprehendantur ut semina operum, quae officiant Christianae Reipublicae; ac proinde mereantur aliquam ex supra memoratis [temerariam etc.] censuris, quaecumque tandem ea sit.” Nam ut pergit: „Ut ab aliquo oppido excludatur advena, non semper est opus ut peste correptus, aut perduellis in aperto sit; sufficit pesti-

1) Tractatus iste vulgo citatur nomine Tournelii; est tamen Montanii, cuius nomine invenitur in cursu completo Theologiae a Migne edito t. 1. p. 1111.

lentiae aut perduellionis suspicio. Non igitur Pontifex habuit in animo... omnem dubitationem tollere [nempe circa specialem gradum, ut paulo post observat Pallavicinus] (quibus dubitationibus libitum est Deo opulentam esse pene omnem hujus vitae scientiam, ac potissime Theologiam, quippe cui obscuriora obversantur themata, altiusque nostram intelligentiam supergressa) solum illi consilium fuit *ut certi haberemus* quantum satis erat: nimirum declaravit eas omnes propositiones perniciosas esse si tradantur, periculosas si credantur.

Caeterum innumerae sententiae sunt quae communi consensu a Theologis rejectae, adhuc in incerto sunt et ignoratur quanam speciali nota sint configendae, cum alii haereticas existiment, alii erroneas, alii solum temerarias seu improbabiles.

12) Ekius apud Tournelij l. c. eamdem doctrinam saepius inculsat adversus Lutherum disputans. „Sacra sancta Synodus Constantiensis articulos illos (infra haeresim notatos Joannis Wiclef) damnavit et reprobavit; ideoque a quolibet bono Christiano pro condemnatis et reprobatis habendi sunt.”

13) Bossuet, doctissimus Meldensium Episcopus, second écrit sur le livre du Mgr. Fénélon n. 2 aperte supponit judicia, quibus sub quibuscumque notis doctrina proscriptitur, vere esse dogmatica, eum asserit

hujusmodi judiciis nascentes haereses plerumque lethali telo transfodi: „Les condamnations générales sont utilement pratiquées dans l'Eglise pour donner comme un premier coup aux erreurs naissantes, et souvent même le dernier, suivant l'exigence du cas et le degré d'obstination, qu'on trouve dans les esprits.”

Et in utroque suo documento de Ecclesia, ea Scripturae testimonia: „Ecce ego vobiscum sum” et alia hujusmodi, universalia esse dicit et absoluta, ac proinde ad ea etiam Ecclesiae decreta extendi, quibus doctrina fidelibus reprobanda proponitur sub aliis notis quam haereseos.

Et in relatione damnationis libri: „Explication des maximes des Saints,” loquens de decreto Innocentii XI, quo plures propositiones ex hoc libro extractae configuntur sub variis respective notis, inter quas non reputatur nota haereseos, decretum illud latum fuisse dicit, circa materiam ad fidem spectantem, cum revelatione connexam; in eoque ferendo spectandas fuisse Scripturam et Traditionem. Et rursus illud dicit censuram accuratam, summae auctoritatis, Scripturae et S. Patrum traditioni conformem.

Et licet huic testimonio epistolam illam adjungere, quam scripserunt praesules gallicani ad Regem a. 1728, relatam ap. Tournelij l. c.: „Ces sortes de jugements nous reglent dans l'ordre de la foi, parce que

c'est pour la conservation de la pureté de la foi que l'Église les prononce et parce qu'ils servent à garantir la foi des fidèles, en les mettant en garde contre des propositions, qui enseignent, qui favorisent ou qui insinuent l'erreur. — Il n'y a qu'a lire les professions que Martin V adresa à la fin du Concile de Constance... on y verra clairement que ce Pape regardoit des censures portées sous des qualifications respectives comme appartenantes au dogme et comme servant a diriger les fideles dans l'ordre de la foi."

Judicia ergo quibus damnantur propositiones, etsi infra haeresin, vere sunt dogmatica : ac proinde ad assensum internum singulos fideles obligant et sunt infallibilia.

14) Gautier, Prodr. ad Theol. Dogm. Schol. Col. 1756. Dis. 2. cap. 3. a. IV. p. 167 : „Non illud solum Ecclesiae , Pontificisve Judicium esse Dogmaticum et Infallibile , quo Doctrinam aliquam vel Propositionem proscribit ut Haereticam , sed etiam aliud quocumque , quo inferiori aliqua censura perstringit aliquam Propositionem , v. g. declarando illam esse Erroneam , Scandalosam , Temerariam etc.... Huic Corrolario favet Concilium Constantiense , tum sess. 7 et 8 , ubi Censuras , Wicleffi articulis a se inustas , indiscriminatim appellat *Determinationes in materia Fidei* ; tum sess. 45 ubi declarat Martinus V ea , quae a Concilio eodem contra Wicleffi articulos statuta fuerant , totidem

fuissent *Determinationes, Conclusiones et Decreta in materia Fidei.* Et tamen aliquos ex istis articulis Concilium solummodo perstrinxit velut scandalosos, quosdam ut temerarios etc."

15) Devoti Instit. Can. l. 4. tit. 7. § 6. n. 4. p. 292. ed. Gand. 1822: „Cum Ecclesia propositiones aliquas, ut haereticas, aut etiam erroneas, vel temerarias, scandalosas etc. sive speciatim, sive generatim et in globo damnat, judicia haec vere dogmatica sunt, atque omnibus certum esse debet, nullam ex iis notam, quae non merito in illas propositiones cadat.” Inter alia exempla allegat auctor ab Innocentio XI in propositiones 23, excerptas ex libro: *Les maximes des Saints, sancita, in quibus nullae nisi inferiores censurae inveniuntur, et tamen catholicis, ait, omnibus dogmatica sunt.*

16) Ballerini. *De vi ac ratione primatus.* c. 15. n°. 24. p. 289 ed. Aug. Vindel. 1770: „Cum Romani Pontifices aliquod dogma circa fidem proponunt atque constituunt, vel errorem aliquem fidei contrarium iis formulis damnant, quibus non opinionem privatam, sed doctrinam catholicam se exponere erroremve ei doctrinae contrarium proscribere ita significant, ut quicunque aliter sentiant, a Catholica vel Romana fide abesse et ab Ecclesiae Romanae communione et unitate separatos declarant, anathemate percellant aut

haereseos vel aliis aequivalentibus censuris propositiones, quas damnant, inurant: haec erit propria dicta definitio fidei, qua ex Christi promissis error ipsi nequit inesse."

17) Thomas ex Charmes. Compendium Theologiae. d. 3 de Propositionum censuris. q. 1 „quotuplici modo propositiones pravae damnari solent ab Ecclesia. — Duplici. 1º. In particuli, quando Ecclesia suas singulis notas tribuit. 2º. In Globo: quando omnes simul damnantur tamquam falsae, perniciose, haereticae etc. nullam suam notam particularem assignando. Quoquo modo autem damnentur, sunt judicia Ecclesiae dogmatica, quae a fidelibus mentis obsequium exigunt.

18) Nostris etiam temporibus omnes theologi de hac re consentiunt. Sic clarissimus in Romano collegio professor Franzelin, op. cit. p. 112: „Non solum condemnari haereses sed etiam inferiores censurae ferri possunt auctoritate infallibili sub assistentia Spiritus veritatis. Quod ergo doctrina non definitur tamquam in se revelata seu quod errores non singillatim damnantur nota haereseos; sed vel nulla determinata censura vel censuris inferioribus vel in globo censuris plurimis proscribuntur: ob has causas per se spectatas *sine gravi errore* affirmari non potest, definitiō nem non esse infallibilem aut non esse locutionem ex Cathedra.”

19) Reinerding. Theol. Fundam. p. 234. De infallibilitate Ecclesiae in judiciis dogmaticis. Postquam nomen judicii dogmatici, quid sit explicavit, et illud indeterminatum esse posse vel a parte doctrinae vel a parte notarum vel ex utraque parte simul, annotavit, aliquam breviter de notis dat explicationem. Thesim suam posthac: Ecclesia in judiciis dogmaticis infallibilis est, probat ex eo, quod Ecclesia etiam in conclusionibus theologicis e doctrina deducendis infallibilis esse debet. Ipsa enim non solum testis sed etiam *magistra* infallibilis oportet ut doceat, quis divinae revelationis sensus, quid ex ea sequatur, quidve ei opponatur. Etenim si Ecclesia ejusmodi conclusiones deducere potest, infallibili judicio quoque quid eis contrarium sit, etiam *certo et determinate* dijudicat. Sed id quoque Ecclesia sibi semper attribuit. Ut exemplum damnationis propositionum in globo afferat, citat Constantiensis proscribendi rationem. „In eadem hac proscriptione etiam notae ea haereseos inferiores inuruntur. Quam vero auctoritatem Synodus huic damnationi attribuerit, tum ex verbis patet, quibus hoc decretum vocat *perpetuum*, tum ex bulla quam Martinus V, sacro approbante Concilio, edidit, et qua constituitur, ut qui de erroribus Wicleffii et Hussii suspectus sit, interrogetur: „utrum credat, quod damnationes.. fuerint juste et rite factae et a quolibet

catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendae. Nullus insuper catholicus, non Ecclesia in judicio dogmatico infallibilis sit, dubitat. De quo inter theologos disputatur, hoc solum est, num... sit certo de fide, an forte mera theologica conclusio, num propositio eam negans haeretica, an erronea, an haeresi proxima vocari debeat; quae opinionum diversitas certitudinem non afficit et plane indifferens in hac re est."

20) Et Ward (de extensione Infallibilitatis) in sua Thesi prima hanc rem propugnans, post allata argumenta concludit: „Pontifex igitur procul dubio has censuras minores infallibiliter proferre potest.”

21) Kleutgen. Die Theologie der Vorzeit. I B. p. 60, ubi cum nativa ingenii et facilitatis vi hanc rem tractat: „Die Denk- und Lehrfreiheit ist nicht bloss durch das Dogma beschränkt.” Primo in illo capite censuras diversas affert et definit, eorum perversam agendi rationem demonstrat, qui ita obedientiam fidei proponunt, quasi satis esset solummodo dogmata recipere, caeteras vero doctrinas ut sententias scholasticas (Schulmeinungen) tractare liberum cuique. Conclusio nem deductam: „Aus dem Gesagten folgt nämlich, dass der Gehorsam, den wir der lehrenden Kirche schuldig sind, sich weiter als das Gebiet des eigentlichen Glaubens, und folglich auch die Lehrvollmacht der Kirche über den Inhalt der Offenbarung hinaus

erstreckt" pulcherrime cum illo principio, quod Ecclesia nullam novam revelationem recipit, unit ac sociat; quamvis sufficeret responsum: Ecclesia jus illud sibi agendo vindicat, ergo et revera illud possidet. Ex rei natura quoque istius extensionis magisterii rationem lucide exponit: „Der Zweck der Offenbarung nämlich wird dadurch noch nicht erreicht, dass wir die Wahrheiten, die sie ausdrücklich lehrt, mit frommen Glauben annehmen; sie soll auch, wie unser Handeln und Wirken, so unser Denken und Dafürhalten, wenigstens in sofern es sich auf die Religion einigermassen bezieht, ordnen, soll unser ganzes innere und äussere Leben mit der göttlichen Wahrheit durchdringen. Dies kann aber nicht geschehen, ohne bald die geoffenbarten Lehren näher zu bestimmen, bald ihren Inhalt zu entwickeln, bald aus ihnen zu folgern, und viele andere Gegenstände nach ihnen zu beurtheilen. Ist nun die Kirche kraft ihres Hirtenamtes bestellt, das göttliche Licht, so weit als es der Zweck der Offenbarung erfordert, zu verbreiten; so sind wir auch bei dieser näheren Bestimmung, Entwicklung und Anwendung oder Benutzung der geoffenbarten Wahrheiten für die Wissenschaften und das Leben auf sie als unsere Lehrerin hingewiesen. Und weil sie eben in der Sphäre, in welcher sie die Wahrheit verbreiten soll, auch den Irrthum abwehren muss, so hat sie die Gewalt, nicht

nur jene Lehren zu verbieten, welche der geoffenbarten Wahrheit unmittelbar widerstreiten, sondern auch diejenigen, welche im Lichte der Offenbarung als irrig, gottlos, verführerisch und schädlich erkannt werden."

22) Bouix de Papa. t. 2. p. 235. cap. X: „De objecto infallibilitatis Romani Pontificis, seu ad quasdam materias praerogativa haec se extendat.“

Cum eadem prorsus est quaestio ista de objecto infallibilitatis sive agatur de infallibilitate Romani Pontificis, sive de infallibilitate Concilii Oecumenici, sive de infallibilitate Ecclesiae, ideo auctor remittit ad tractatum de Ecclesia, et conclusiones de objecto seu competentia infallibilis Ecclesiae applicandas esse dicit infallibili auctoritati Romani Pontificis. Solummodo indicem ejusmodi conclusionum subjicit ex tractatu Martin, in quo inter alia: „Auctoritas Ecclesiae est stricte circa fidem, mores et disciplinam generalem infallibilis. — Et in damnando propositiones in globo — Et in damnando propositiones aequivocas, quin distinguat verum sensum a falso.“

23) Hettinger. Die Kirchliche Vollgewalt des Apostolischen Stuhles. p. 194. lucide objectum pontificiae infallibilitatis exponens, eam, de qua agimus, rem ex rei natura deducit et AA. testimoniiis adstruit. p. 198. n°. 4. „Wohl sind die bezüglich dieser letzten Reihe von Wahrheiten, welche nicht ausdrücklich in

der Hinterlage des Glaubens enthalten sind, ausgesprochenen Irrthümer keine Häresieen . . . ; aber die vom höchsten Lehramte ausgesprochene theologische Censur eines solchen irrgen Satzes ist desswegen doch unfehlbar wahr als solche, und der censurirte Satz ist von uns unfehlbar aufzunehmen in dem Sinne, indem er verurtheilt ist.”

24) Murray. Tractatus de Ecclesia. t. 3. p. 779. n^o. 111. „Plura sunt objecta infallibilitatis Pontificis sicut et Ecclesiae.” Dist. 17 passim in probanda nostra re scite eruditique versatur, et p. 781 ut notam, qua discerni facile potest, quando velit Pontifex obligare ad credendum, statuit: „Si alicui propositioni notam theologicam apponat (disp. 17. n^o. 21 etc.), si propositionem sub poena censurae ecclesiasticae teneri prohibeat; si eam (ut in encyclica „*Quanta cura*” 8 Dec. 1864) sine ulla nota aut poena, simpliciter damnet; si auctoritate apostolica praecipiat hanc vel illam doctrinam ab omnibus tenendam (disp. 17. n^o. 59);” etc.

25) Ita et clarissimus Hergenröther, in suo opere: Katholische Kirche u. Christliche Staat. Freiburg 1872, ubi agit XV De Syllabo, p. 806, quem ideo regulam fidei saltem sensu latiori probat, eumque exponit.

26) Scheeben. Handbuch der Kath. Dogmat. 1873. I B. § 30, 34, 35: ubi inter alia: „Dogmaticae censurae propter infallibilitatem ecclesiastici magisterii in

rebus fidei et morum absolute certum reddunt, omnes istas doctrinas rejiciendas esse et quidem eo gradu (in der Weise) quo dignae sint judicatae." p. 255. n.º 579.

27) P. P. Rudis: *Petra Romana*. Regensburg 1869. Zweite Auflage. p. 33—37. n.º III: „Die definitive Beurtheilung der Folgerungen aus Glaubenswahrheiten der sogenannten theologischen Deductionen. Nicht bloss das kirchliche Lehramt im Allgemeinen, sondern auch der oberste Lehrstuhl der Kirche im Besondern hat sich dieses Recht und diese Macht allezeit beigelegt und thatsächlich ausgeübt. Es hat zu seinen darauf bezüglichen Entscheidungen strenge Zustimmung gefordert, d. h. allerdings keinen actus fidei divinae — denn einen solchen verlangt die Kirche nur bei den Dogmen, den in der Offenbarung unmittelbar enthaltenen Wahrheiten, — wohl aber wahre, innere, unbedingte Unterwerfung des Urtheils unter das unfehlbare Urtheil der Kirche. Und es hat dieselbe sogar gefordert unter Androhung der stärksten kirchlichen Strafen, selbst der Verweigerung der Absolution in der Todesstunde. Ich errinnere bloss an die Bulle „*Unigenitus*“ in welcher Clemens XI die hundert und ein Sätze Quesnel's verurtheilt und unbedingte Zustimmung fordert nicht nur zu Dogmen im strengen Sinne des Wortes, sondern auch zu anderen *Wahrheiten*, welche mit den Dogmen eben nur in Verbindung stehen. Und

diese Bulle ward, obgleich in Frankreich durch die Intrigen der Jansenisten beanstandet, dennoch, wie Döllinger (Kirchengeschichte von Hörtig. Fortsetzung pag. 832) bemerkt, „in allen übrigen Katholischen Ländern ohne Widerrede als *Glaubensvorschrift* ange nommen“. cfr. et IV. Dogmatische Thatsachen. 37 et seq.

28) Thomas Franz Knox. (Versio Germanica: Regensburg. Mainz 1874). Wann spricht die Kirche unfehlbar?

Doctissimi auctoris totum fere opus citandum foret, si omnia, quae clare et nitide pro nostra argumentatione exponit momenta, adhibere voluerimus. Satis superque mens ejus patet ex iis, quae scribit p. 135: „Sind wir verpflichtet, zu glauben, dass die geringeren Censuren, mit welchen die Kirche einzelne Lehren belegt, von diesen unfehlbar verdient sind? Um diese Frage zu beantworten, haben wir nur auf die Praxis der Kirche zu schauen. Verlangt sie, dass wir mit innerer Unterwerfung ihre Entscheidungen annehmen, wenn sie eine der geringeren Censuren verhängt, so muss das geschehen, weil sie den Anspruch macht, in der Verhängung derselben unfehlbar zu sein; und weil sie das, was sie beansprucht, zu beanspruchen das Recht hat, so können wir aus ihrer Praxis mit Recht ihre Unfehlbarkeit folgern.“

Ex praxi deinde luculenter exposita, p. 141 concludit: „Da die Verwaltung des kirchlichen Lehramts nicht beabsichtigen konnte, uns zur inneren Unterwerfung zu verpflichten, wenn sie nicht mit Sicherheit wüsste, dass sie in ihrem Decrete nicht irren kann, so ist die Thatsache, dass sie unsere Beipflichtung verlangt, ein zwingender Beweis, dass sie in den Censuren, welche sie ausspricht, unfehlbar ist.” Tum variis argumentis ex consensu Theologorum, etc. rem fusius demonstrat.

29) Illustrissimus archiepûs Manning op. cit § Censures mineurs hanc rem tractans, scribit: „Il est certain que tous les théologiens catholiques sans exception (je ne parle pas, on le comprend, des auteurs dont les écrits ont été censurés) à ma connaissance du moins, enseignent que l'Eglise est infaillible dans toutes les censures de ce genre”, et citat intes alios de Panormo. Scrutinium doctrinarum cap. III. art XIII. n. 7. Matteuci. Opus dogmat. De controversiis fidei VII. cap. III n. 33 — Herinex. Summa Theol. schol. et mor. dub. 9 n°. 98. — Ripalda, t. 3, disp. 1 sect. 7 n°. 49. — Anfossi, Difesa dell' Auctorem Fidei, l. 10 t. 2. — Pozzonobelli, Nannetti, Griffini ; quibus praeter jam a nobis laudatos adjungere licet, Regnier, de Ecclesia p. 1. sect. 4 c. 2, Gousset op. cit. Philips, Lehrbuch des K. R. § 246 s. 808. Regensburg 1862,

Fr. Alb. Knoll a Bulsano. Inst. theol. comp. v. 1 Aug. Taur. 1868 p. 12 et seq. a. 2 § 10, 11. cfr. § 18 de Rom. Pont. definitionibus; et alios.

Nec contrafacit, quod contra unanimem hanc omnium consensum unus proferatur, licet nomine Muratori, a Benedicto XIV laudatus ob suam eximiam eruditio nem: nam certe ille Pontifex non intendit virum laudare in *rei dogmaticae disciplina*, qui non tantum in hac re sed et in factis dogmaticis et canonizatione sanc torum infallibilitatem negat in suo libro: „De Ingeniorum moderatione.” Nam et ipse Benedictus XIV in opere „de canonizatione sanctorum” nostram sententiam tam certam esse testatur, ut contrariam gravissimis censuris dignam reputet. Caeterum ille ipse praestantissimus historicus, qui tamen non in theologicis disciplinis nominis famam sibi adeptus est 1), ad praedictas conclusiones venit, negando infallibilitatem, ut ait, in rebus, quae fundantur humano testimonio; quare et ipse stricto jure non in nostra materia nobis adversari demonstrari potest. Quemdam quoque Germanum profert Bulsanus (ap. Murray l. c. d. 17 p. 225), „nomine Kluppel, qui quasi ex tripode paucis ad hoc respondet, num Ecclesia sit infallibilis in quaestionibus philoso-

1) „Der war in der Theologie bloss Dilettant.” Ita Scheeben cfr. tamen Politische Blätter 74 B. 7 H. p. 529.

phicis, in factis dogmaticis, in censura librorum, in beatificatione et canonizatione sanctorum? — infallibilem non esse, quod res istiusmodi revelatae a Deo non sint, neque admittendae sint novae revelationes, neque necessariae”.

Nec majorem vim habet argumentum ex silentio de-promptum illorum auctorum, qui de Ecclesia copiosius scribentes ne verbum quidem de nostra thesi faciunt. Nam si res omnium consensu gaudet et a nullo impugnatur, non mirum est, si auctores, polemice praesertim scribentes, de ea re silent. Et praeterea silentium illud non omnimodum est. Sic e. g. Tournelius non ex professo quidem de hac re tractat, sed eam multoties supponit vel argumenta profert, quae et nostram thesin invicte probant, ubi de factis dogmaticis (de Ecclesia 3^a parte); quae omnia sic concludit: „Denique praecipua ratio, qua nititur adversa sententia, Ecclesiam nempe in iis duntaxat rebus errare non posse, quae sunt a Deo revelatae et ad fidem pertinent, haec, inquam, ratio satis firma et solida non videtur. Namque multa sunt nec revelata nec ad fidem spectantia, in quibus tamen multorum judicio nec errat nec errare potest Ecclesia, etc.”

Sic et clarissimus Perrone (t. 2. ed. cit. c. 4. p. 1018). „¹º. Dogmaticae definitionis nomine seu ut trito jam loquendi usu obtinuit, definitionis editae *ex cathedra*

significatur Rom. Pontificis decretum, quo proponit aliquid Ecclesiae de fide tenendum aut respuendum veluti fidei contrarium sub censurae et anathematis poena." Et pag. seq. n. 5 quaestio de infallibilitate in concreto ei vix non supervacanea videtur. „Etenim *cum aliquis error aut haeresis* alicubi exurgit.. praesules... commonefaciunt Pontificem de novo errore ejusque judicium atque definitionem exposunt."

Quare cum Murray (Ecclesia d. 17. n. 63.) affirmare non dubitamus, sententiam, cui thesis nostra opponitur, „etiam ad hodiernum usque diem ne unum pro se habere auctorem gravem et doctrinae probatae." Et ideo solummodo in re tam aperta longius immorari putavimus, ut praecipui adversariorum argumenti futilitas in oculis omnium manifesta cerneretur, quum, neglecta non semel ejusdem auctoris alio loco exposita doctrina, se fundant in quibusdam auctorum locis seorsim spectatis. Cujus rei illustre exemplum, cum quo concludere juvat, illud sit Suarezii: „Veritas catholica est, Ponticem definientem ex cathedra esse regulam fidei, quae errare non potest, *quando aliquid authentice proponit universae Ecclesiae tamquam de fide divina credendum*". Ad summum enim conjectura oriri posset, forsitan illi auctori nostram thesim nondum visam fuisse veritatem catholicam: quomodo autem nostrae doctrinae adversari dici potuit ille, qui praeter supra

relata in tract. de Leg. IV c. 14 mentem suam
aperuit?

Illud tamen, quod omnes orthodoxi theologi judicant, ex principiis Fidei indubitanter deduci, atque ad fidei dogma pertinere, pro tali merito habendum: quia non videtur fieri posse, ut omnes errent in re tanti momenti, praesertim cum sic possent fideles reliquos, qui ab eorum fere ore immediate pendent, in similem errorem inducere. At vero qui toti adest Ecclesiae, et per totum corpus infunditur, veritatis Spiritus idem singulos regit, Isque lucem suae veritatis aspirat, ut quod singillatim universi firma et inconcussa persuasione, non ex composito praeceperint, id illius instinctu Spiritus exceptum et eorum animis consignatum merito videatur. Quare communis omnium Ecclesiae Scriptorum professio, illum esse totius corporis sensum certissime demonstrat.

Thesis III. Ratio theologica pro nostra sententia militat.

Non tantummodo auctoritas hucusque exposita, sed et recta nostra ratio, fide illustrata, in hac re partes suas explet, ut jam multoties in decursu argumentationis vidimus, sive in expositione S. Scripturae et Sanctorum Patrum sive in exponenda postea praxi Summi Pontificis et Ecclesiae videbimus. Et theologo-

rum, dum attulimus nomina, simul plerumque dabant suae opinionis fundamenta. Quare, ne rem eamdem cum fastidio lectoris repetamus, solummodo breviter unum et alterum argumentum proferre volumus, ab omnibus admissa principia ad nostram materiam applicantes.

1º. Summum Pontificem, auctoritate a Christo accepta, judicare posse de propositionibus infra haeresim notandis, nemo ex adversariis negat, neque eum potestatem habere fideles sub gravissima poena anathematis adiungendi, ut suo subscrivant judicio, non manu tantum, sed corde et animo. Sed cum mentis obsequium non debetur nisi auctoritati omnino certae et infallibili 1), et Pontificis auctoritas, suavis et non dominationem sapiens, iniqua et tyrannica esse non potest, necesse est concludere in hujusmodi definitionibus Romanum Pontificem errare non posse.

2) Romanus Pontifex suo ipso usu et praxi supponit sibi a Christo datam auctoritatem, ut de illis propositionibus certum judicium ferre possit, ac fideles, ut ipsi subscrivant, sub anathematis poena compellit.

1) cfr. Ballerini, ap. de infall. Pont. in def. dogm. prop. 6 et 7. ubi inter alia: „Auctoritas, quae *omnem* dubitationem debet excludere, *omnimodam* certitudinem afferat, necesse est.” Vid. fusius de hac re disputata infra.

Ergo auctoritatem illam reipsa recepit, alias in dogmate aberraret, eam sibi arrogando auctoritatem, quam a Christo non accepisset. Pertinet enim ad dogma infallibilitatis scire, utrum privilegium istud se extendat vel non ad censuras hujusmodi ferendi et exigendae fidelium interioris adhaesionis potestatem. Porro de fide est, Romanum Pontificem in dogmate aberrare non posse. Imo Ecclesiae consuetudo hanc potestatem manifeste declarat. „A Synodo ad Pontificem appellatur” (Thomas quaestion. de potent. Dei q. 10 ad 13): nunquam tamen admissa est appellatio a Sede Romana; sed cum homines seditiosi saeculo decimo quinto ad Concilium Oecumenicum provocare coeperunt, statim talis prae sumptio condemnata exstitit. Sic Martinus V anno 1418 bullam edidit contra appellantes a Romano Episcopo, item et Pius II in Bulla: „Execrabilis,” qua ipso facto appellantes ad futurum Concilium excommunicationis poena plectit. Julius II, edita Bulla „Suscepti” anno 1509, id confirmat et tales ut veros schismaticos et in fide infirmos declarat. Et nostra quoque aetate Pius Papa IX constitutione „Apostolicae Sedis” anni 1869 de novo poenam istam promulgavit. „Et certe, si „Romanae Sedis judicium fallax esset, Concilii vero esset „verax et certum,” ait Canus De Locis l. 6. c. 7. „naturae, rationi, veraeque theologiae is adversaretur, „qui appellationem a Pontifice ad Concilium denegaret.”

Nec refert itaque, quod illa extensio nondum asserta fuit Concilii generalis vel Pontificio decreto, nam usu continuo ac exercitio suam hanc contestantur et probant Romani Pontifices auctoritatem; si hoc non sufficeret, liceret etiam ipsius Ecclesiae infallibilitatem negare, utpote non aliquot canone definitam sed semper in omnibus suppositam.

3) Certum est Christum Ecclesiae in his, quae ad conservationem depositi et fidelium salutem sunt necessaria, nunquam deesse. Atqui ad conservationem depositi et fidelium salutem necesse est, ut Pontifex certo ac infallibili judicio possit veram a falsa doctrina discernere, noxia pascua a salubribus, venenum a remedio distinguere; necesse est, ut fidem minuentes et perturbantes errores et sententiae, quae in dies enascuntur, supremo judicio reprimere possit, ne forte continuo inter se turbentur fideles et circumferantur omni ventu; necesse est, ut Pontifex pro imposta sibi lege veritatem doceat sibi creditos: et non solum ipsam revelatam, sed et istas veritates, ex quarum negatione ansa, imo necessitas fluit negandi revelatas. An vero credibile est, Christum Vicario suo, qui, ut ministerium illud absque ullo errandi periculo exerceat, sibi adfuturo auxilio indigeat, non adesse et in ea ministerii parte, unde tot in christianos commoda vel incommoda derivare possint, sed eum constituisse medicum, qui

solummodo mortem haeresis impedit, illius vero causas, morbos nempe exitiales (si non potius et ipsae mors dicendae sint) repellere nequeat? Certe non nostrum est, modum praescribere, quo divina omnipotentia finem sibi praestitutum pertingat, sed ordine, quo omnia in sua Ecclesia disposuit, inspecto, nobis hic celebre scotianum adhibere licet: Potuit. Decuit. Ergo fecit.

4) Non posse Pontificem errare in suo de ferendis censuris judicio, maximum inde haberi debet argumentum, quod reipsa nunquam erravit 1). Nullum etenim proferri potest exemplum propositionis a Romano Pontifice censura quacumque perstrictae, quae postmodum in Ecclesia tali qualificatione non digna declarata, vel etiam visa fuit. Ineptae enim Copernicani systematis condemnati a Romano Pontifice fabulae non est ut immoremur; non fuit a Pontifice, ex Cathedra loquente, sed a quadam Congregatione sine Pontificis confirmatione

1) Sunt qui argumentum hoc negligere putant, quasi ex veritate particulari inferreteret veritas universalis, et ad non esse ad non posse illatio nostra esset. Minime gentium: quando videmus unam auctoritatem, divinitus constitutam, semper, in tot variisque circumstantiis, per tot saecula, in gravissimis et difficilimis questionibus veritati consonam sententiam pronuntiasse, dum omnes alii pluries a vero aberrabant, inducere fas est, eam aberrare non posse. Impossibile enim foret, ei id hucusque non contigisse, attenta hominis indole et natura.

damnata; et etiamsi fuisset, non noceret nostrae causae, nam ut vidimus, multi sunt in ea sententia, ut temeritas falsitatem non includat, sed tantummodo rem contra communem sententiam sine ratione sat gravi assertam. Et quis est, qui eo sensu doctrinam Galilei, qua ab ipso tradebatur solius telluris motus, at aeris circumiacentis immobilis status, temerariam et stultam negaret: nonne omnia in illa hypothesi destruerentur per impetuosa vim, qua moveretur terra, dum aer immotus resisteret? Sed satis superque (forsan nimium) de hac re scriptum, cum abunde sufficiat, non Pontificem sed tantummodo Congregationem, cui nemo infallibilitatem adscribit, suum judicium exercuisse.

5) Sed ut jam innuimus, nullum omnino contrariae sententiae fundamentum proferunt adversarii, quam quod ad veritates, in deposito fidei stricte sumpto contentas, infallibilitas restringi debet. Sed multa alia sunt, in quibus communi consensu nos docent auctores, cum S. Thoma quodl. 9. q. 8. a. ult., Ecclesiae judicium errare non posse. Si vero hoc principium non admittitur, non tantum in censuris ferendis inferioribus, sed et in conclusionibus theologicis, in factis dogmaticis, in canonizatione sanctorum et approbatione ordinum, in approbando ut licito, vel damnando ut illicito aliquo contractu vel juramento, etc. ruit infallibilitas. Supremum Pontificis judicium eliminatur e philosophia,

juventutis institutione, et politicis quaestionibus et pessimum illud sistema de omnimoda fidem inter et rationem, scientiam et theologiam seperatione necessario nexu consequitur. De consequelis ergo non est, ut late agamus. Temporis enim praeprimis hodierni tristissima experientia melius quam verba nobis ante oculos ponit, ad quem erroris abyssum, ad quae monstruosa antiquissimi paganismi placita illa dicit theologia, quae „insolentissima disputat insanis, an sit faciendum, quod tota facit Ecclesia.” (Aug. epist. 118).

Thesis IV. Magnum nobis nunc superest argumentum, depromptum ex Romanorum Pontificum loquendi et agendi ratione, cui correspondet totius Ecclesiae constans obedientia.

Nemo inficias ibit, quum Pontifex in rebus fidei inertantiae dono insignitus sit, ejusdem judicium inconcussum esse, quounque hoc privilegium se extendat, quibusque limitibus circumscribatur. Ipsi enim competit de dotis sibi commissae plenitudine judicare, et nemini licet hujus decisioni resistere, quasi limites suae potestatis praeteriisset. Ad dogma enim revocatur, asserere sibi et privilegium et privilegii extensionem, et sibi arrogando charismatis plenitudinem, quam non

haberet, eo ipso se charisma ipsum non habere ostenderet. Si ergo Pontifices sic agere, ostendere possumus, quasi extensionem a nobis propugnatam revera haberent, omnium ineluctabilius argumentum protulimus.

Innocentius I id luculenter exprimit in sua ad Concilium Carthaginense epistola: „Antiqua traditionis exempla, ait, servantes et Ecclesiasticae memores disciplinae, nostrae Religionis vigorem, non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbatis esse judicium, scientes quid Apostolicae Sedi (cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus APOSTOLUM) debeatur: a quo ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit: *quem sequentes tam mala damnare novimus quam probare laudanda.*”

Hisce verbis non loqui duntaxat Pontificem de articulis fidei, denotare clare ultima verba, jam scite animadvertis Cardenas l. c. Sed praeterea, quanta securitas certitudinis in hoc judicio Sedis Apostolicae: „*Novimus*, inquit, mala damnare” — et eamdem omnimodam certitudinem et firmam habebant persuasio nem Patres, „*veneratione firmantes*.” Imo ipsi, dum concilio aderant, consuluerunt Romanam Cathedram, *juxta antiqua traditionis exempla et Ecclesiasticam disciplinam et hoc firmat nostrae Religionis vigorem.* Quae alia ratio inveniri potest, quare esset debitum

Sedi apostolicae, nisi propter assistentiam singularem S. Spiritus, eam ab omni errore servantem in approbando laudandis, in damnandis malis.

Idem Innocentius ad Conc. Milevitanum ep. 93, inter epistolas S. Augustini: „Per omnes provincias de apostolico fonte potentibus responsa emanant, *praesertim* quoties ratio Fidei ventilatur.”

Innoc. IV c. 3 de Bapt. III, 42 alludens ad Greg. M. „Majores Ecclesiae causas, *praesertim* articulos fidei *concernentes*, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui cum, quaerenti Domino, quem esse ipsum discipuli dicerent, respondisse notabit: „Tu es Christus Filius Dei vivi.” Ergo ideo, etiamsi non de articulis fidei agatur — *praesertim* articulos fidei *concernentes* — ad Petri Sedem res est referenda, quia Petrus ob suam confessionem audire meruit: „Tu es Petrus... et portae inferi non praevalebunt...”

Nicolaus I aequo certum se exhibet in declarando in sua generalitate privilegio: „Quid ratum, inquit, quid prorsus acceptum nisi quod Sedes b. Petri probavit, ut ipsi scitis. Sicut e contrario, quod ipsa reprobavit, hoc solummodo consistit hactenus reprobatum.” Et anathemate ferit in syn. rom. 863. can. 5 eum „qui dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta ab apostolica Sede promulgata contempserit,” et recte; „si enim, ut S. Leo dicit, humanis

persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare."

Tali quoque persuasione ductus Gelasius I scribit ad Anastasium Imperatorem: „Hoc est, quod S. Sedes magnopere cavet, ut quia mundo radix est apostoli gloriosa professio, *nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur.* Nam si, quod Deus avertit, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid fieret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus?” Nam ut iterum Leonem, qui, testante Graecorum menologio, praecellentissimis monumentis virtutem suam, praecipue autem rectam fidem testatam reliquit, citamus — „A solida fide Petri repetendum est, quod Sedis Romanae fides nunquam errore ac haeresi maculata fuerit” (serm. aniv. suae assumptionis secundo c. 3).

Eam de potestatis suae plenitudine invictam persuationem majori luce ante oculos ponunt jam antiquissimi Romanae Ecclesiae praesules, quum eadem securitate, qua damnant haereses, caeteras proscribunt sententias, ab hominibus excogitatas, qui „spiritu vanitatis ut eter distenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate; quos transgredi non solum est temerarium sed profanum.” (Greg. IX. ep. 1223. apud Denz. op. cit. p. 164) Et tota Ecclesia eadem veneratione semper recipit et agnoscit talia decreta,

ut ab ore Petri per suum successorem irrefragabilia et assensu intimo non secus ac alia suscipienda; et nullus, qui vult catholicus censeri, subterfugium quaerit, quasi haec limites a Christo positos transgredentur, imo nulli, quamvis artes se declinandi Summi Pontificis judicium subtilissimae excogitarentur, hoc sophisma in mentem antea venit. Sed cum monumenta temporis posterioris abunde sufficiunt, ne lites otiosae de formulis et vocibus, quibus tales doctrinae plectuntur, moveantur, (notum enim est „haeresis” vocabulum antiquitus sensu latiori usurpari); ea tantum in medium adducimus, in quibus jam nostri temporis usitatae qualificationes obtinent: licet cuique compertum sit, non voces, sed rem, vocibus contentam, inspiciendam esse.

Joannes XXII jam anno 1327 constitutione solemni, qua damnat errores Massilii et Joannis de Janduns (Denz. 178) articulos illos „velut sacrae Scripturae contrarios et fidei catholicae inimicos, haereticos, seu haereticales et erroneos... sentialiter declarat.” Quomodo pontifex loqui potuisset eodem modo et obstringere fideles ad eumdem assensum, si in haeretica labe definienda quidem infallibilis, in caeteris censuris vero errare posset?

Idem pontifex a 1329 articulos Ekkardi nulla assensus indicata differentia, qua sua definitio sit recipienda, eadem certitudine potestatis et officii, sibi

demandati , damnat „ut haereticos , alios vero ut male sonantes , temerarios et de haeresi suspectos.”

Et Martinus papa V in bulla „*Inter cunctas*” mandat suspectos interrogandos esse inter alia dogmata : „*Specialiter , utrum credat* sententiam S. Constantiensis Concilii fore veram et catholicam : scilicet , quod supradicti... articuli... non sunt catholici sed quidam ex eis sunt notorie haeretici , *quidam erronei , alii temerarii et seditiosi , alii piarum aurium offensivi.*” (Denz. 194). Si tantummodo igitur inerrantia se extenderet ad damnandam haeresim , quomodo Concilium cum Pontifice jus habuerunt ab haereticis illis , eodem assensu fidei (*credat*) professionem exigendi , quod suum judicium de illis propositionibus , damnatis infra haeresim notis , sancte et religiose susciperent ? Si enim Concilium cum Papa non fuit in ea sententia , quod in illis aequae ac in haeresi condemnanda eadem sibi esset infallibilis auctoritas , haereticos illos ad novum errorem compulissent credendum ; quod aequae insulsum est ac dicere , se de suae potestatis extensione perversam ideam habuisse . Et tamen nulla restat inter illa dua consecataria media via , si infallibile in his rebus fieri judicium negamus . Et sic semper postea egerunt Pontifices , nullo reclamante ; et solemnibus verbis in suis bullis et constitutionibus hanc potestatem sibi vindicant , imo hoc officium sibi esse a Christo impositum profitentur .

Sic Alexander papa VII die 24 Sept. 1665 „audiuit.... summa illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam... modus opinandi irrepsit... quem si... fideles in praxi sequentur, ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela. Quare .. idem ut Oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via , pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus... Magistris et deinde Card. Inquisitoribus serio commisit. Qui tantum negotium strenue aggressi , eique sedulo incumbentes et mature discussis propositionibus Sanctitati suae exposuerunt.... Quibus peractis interea idem sanctissimus *re mature considerata* statuit et decrevit, praedictas opiniones et unamquamque ipsarum *ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas*, sicut eas damnat ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim aut divisim docuerit et defenderit, ediderit aut de iis etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando , ipso facto incidat in excommunicationem.”

Et Innocentius papa XI die 2 Martii 1679 „ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens et salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis , ab Alexandro VII inchoatum , prosequi volens , eadem apposita poena eas damnat et prohibet.”

Quod concludit monendo, ut Doctores caveant ab omni censura etc. contra eas propositiones, quae adhuc controvrtuntur „donec a S. Sede recognitae, super iisdem judicium proferatur.” Doctores ergo abstinere debent ab inurendis censuris: soli *Sedi apostolicae* competit.

Rursus Alexander VIII die 24 Aug. 1690: „Cum sui Pastoralis officii munus sit, oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere et ad salutaria semper dirigere”, duas propositiones, unam ut haereticam, alteram post alias inferiores ut erroneam damnat; et die 7 Dec. 1690: „Pro pastorali cura Ovium a Christo D. commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere et pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, omnibus mature consideratis”, respective praeter haeresin aliis notis propositiones multas configit.

Iterum Innocentius XI in sua perpetuo valitura constitutione a. 1687 in forma bullae, damnans errores de Molinos sic solemniter exorditur: „Coelestis Pastor... Ecclesiam... contra portas inferi circumvallatam, Petro apostolorum Principi et successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam sartam tectamque custodirent: ne oves pretioso sanguine redemptae pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod praecipue B. Petro mandasse sacrae Literae docent: Cui enim apostolorum,

nisi Petro dixit: Pasce oves meas: et rursus: Ego
rogavi etc... Quare nobis... semper fixum in animo
fuit ut populus eam sectaretur fidem quae a Christo
D. per apostolos.. praedicata fuit...” Deinde narrat
Pontifex: „Cui cordi semper fuit, ut fidelium animae
ex alto sibi commissae , purgatis pravarum opinionum
erroribus, ad optatum salutis portum venire possint,
se audivisse Cardinales et Doctores, implorata etiam
S. Spiritus assistentia , propositiones damnavisse „tam-
quam haereticas , suspectas, erroneas , scandalosas ,
blasphemias , piarum aurium offensivas , christianae
disciplinae relaxativas et eversivas et seditiones *respec- tive*:... easque *credendi* , *tenendi* , *docendi* , aut in
praxin reducendi facultatem interdixit, sub poena amis-
sionis Graduum etc., imo anathemate eo ipso innodit
Romano Pontifici reservato quemcumque. Et ne hujus
apostolicae damnationis memoria deleri possit, utque
populus catholica veritate instructior per viam salutis
incedere possit, hac sua perpetua valitura constitutione
denuo propositiones definitive damnat.. decernens insu-
per literas semper et perpetuo validas et efficaces existere
et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri....
Nulli ergo hominum licet hanc paginam.. damnationis
infringere... si quis autem hoc attentare praesump-
serit, indignationem omnipotentis Dei ac B. Petri et
Pauli Apostolorum ejus noverit se incursum.”

Et Innocentius XIII in brevi 1699: „*Dominici gregis* Nobis ab Aeterno Pastore crediti,” ait in condemnatione libri Fenelonii: „Periculis quantum nobis ex alto conceditur occurrere cupientes, matura deliberatione, nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine librum praedictum, tamquam continentes propositiones temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas ac etiam erroneas respective damnamus et reprobamus.”

Sed et non minimum argumentum suppeditat celebris dogmaticae bullae „*Unigenitus*” historia. Quis non novit, quantas excogitarunt artes et fraudes janseniani subsellii homines, ut suum religiosum silentium sufficere contenderent, vel ut, manu tantum subscribentes, internum mentis obsequium denegarent. Sed nullus callidiorum Pontificibus, nulla restrictione, suis decretis jurejurando, sincero animo, adhaerendum praecipientibus, ex eo resisterunt, quod istae propositiones non solum haeretica nota sed et aliis inferioribus damnatae fuerant et solummodo in haeresis definitione inveniebatur infallibilis securitas; sed potius se juris decisionem omnino suscipere testantes, effugia in facti dogmatici distinctione excogitarunt.

Pariter et in bulla: „*Auctorem Fidei*” damnantur istae propositiones inferioribus notis, imo plurimae, non apposita haeresis nota, damnantur, et tamen

Pontifex eas omnes sua perpetua valitura constitutione
damnat et ut damnatas haberi praecipit et decernit.
Et tota Ecclesia eam bullam ut dogmaticam ex
cathedra prodiisse agnovit et agnoscit tamquam infal-
libile Petri judicium in omnibus.

Sed cum jam abundantius in re tam aperta et
oculis etiam se luci cludentibus manifesta, conges-
simus testimonia et exempla, praetereamus oportet tem-
poris posterioris monumenta. Solummodo ex ultimis
Pii IX actis rememoramus illustrem Encyclicam
„*Quanta cura*,” in qua apostolicam vocem extollens,
omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas, sin-
gillatim in syllabo adnexo commemoratas, auctoritate
apostolica reprobat, proscribit ac damnat easque ab
omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas,
proscriptas atque damnatas omnino haberi vult et mandat.
Et hoc, quamvis eorum errorum placita non ex theo-
logicis sed politicis et philosophicis systematibus deri-
vabantur et propugnabantur; imo nemo dicet illa omnia
veritatibus, *fid deposito stricte cumplo contentis*,
directe opposita et heresis nota configenda; ut e. §
prop. 72: „Bonifacius VIII votum castitatis in ordina-
tione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.”

Attamen nullus catholicus illa acta non tamquam
ipsum Dei verbum (Card. Patrizi inv. sua sacra ad
Quadr. 1865) et veritatis oraculum infallibile et obli-

gatorium in Christianorum conscientiam (plures Episcopi Galliae) accipere detrectat, cum et ipse Pius IX die 17 Jun. 1867 Episcopos alloquens, Syllabum *tamquam regulam docendi* proposuit. 1).

Considerata igitur constanti Summorum Pontificum praxi, qua sibi officium non tantum haereses, sed et ceteras fidei nocivas doctrinas, aequali certitudine damnandi divinitus incumbere docent, et a fidelibus eamdem absolutam et interiorem animi assensionem postulant, gravissimis interpositis poenis et anathematis vinculo — considerata constanti totius Ecclesiae sese subjicientis eadem summa obedientia, fundata S. Scripturae eloquiis et Doctorum omnium summo consensu — considerata ipsa rationis soliditate rationabile obsequium praestante; restat nobis ut dicamus cum ipso nostro Pontifice: „Ecclesia (ergo et Romanus Pontifex) ex potestate sibi a Divino suo Auctore commissa, non solum jus sed officium praesertim habet proscribendi et damnandi *omnes* errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint,” („*Gravissimas inter*”).

1) Cfr. fusius de Syllabo XIV in opere cit. cl. Hergenröther.

C A P U T IV.

D e intellectus assensu intimo , seu de mentis adhaesione omnimoda.

Licebat sane , prolatis omnibus argumentis , disser-
tatiunculae nostrae finem imponere , eo magis , cum in
exponendo quaestioni statu et tractanda documentorum
probandi vi , semper totis viribus in id nisi sumus ,
ut stabilientes thesim propugnatam , simul difficultates
removeremus , ne forte in methodum dilapsi aliquorum ,
plus temporis tereremus in enodandis difficultatibus
quam in ipsa veritate firmando . Quare cum id non
semper sola principiorum elucubratione fieri possit ,
praeprimis si ex facto vel textu particulari contro-
versiae ansa desumitur , in fine cujusque articuli , si
opus fuerat , breviter de his sermonem instituimus .

Sed uno vel altero verbo transilire rem disputatam , ex qua negata, si non omnino, tamen magna ex parte argumentandi ratio vitiosa et infirma redditur , certe ejus non est , qui non jure merito quasi in aërem et contra umbras pugnans carpi desiderat. Et talis certe nostro judicio videtur quaestio : Annon sufficit silentio quodam religioso acquiescere Ecclesiae in ferendis censuris judicio ? Si hoc enim bene observatur, removentur pericula fidei omnia , agnoscitur satis ea ab omnibus propugnata Pontificis damnandi auctoritas et errores non publice nec private docentur neque in praxin deducuntur : solummodo enim , quae antea docebantur , in corda servantur.

Sed si hoc etiam satis non est; possumus nos exinde legitima consecutione deducere , quod Pontifex tunc revera in his judicandis et damnandis infallibilitatis dono necessario gaudet ? Forsitan aliud existit motivum exigendi interioris mentis obsequium praeter infallibilitatem in docendo ?

Prima quidem illa opinio non tam magnum facessit negotium. Nam Scriptura Sacra testante , simplex et absoluta Ecclesiae debetur obedientia , quia nihil potest nisi verum et justum imperare, cum portae inferi non possunt praevalere ; et non solum non docere contraria , sed sua subscribenda judicia , juramento interposito , non raro exigit. Sed Ecclesia moribus integra

et immaculata non potest perjurium postulare; et quid aliud esset illa subscriptio pure externa? Quid deinde injuriosius et contumeliosius, Summi Pontificis publicum judicium minoris facere quam suum privatum? Sane res superbia et temeritate plena, imo inobedientiam et rebellionem fovens, cum cuique licitum, Pontificis solemnia oracula ad trutinam vocare sui subsellii. Sed quoque vidimus supra, quod Pontifices semper exegerunt interiorem adhaesionem (*„utrum creditur”* in Constantiensi) et nunc adhuc exigunt. Cum enim Belgii episcopi Pontificem certiorem fecissent, aliquos doctrinis condemnatis adhuc dare assensum: „docere non possumus ea... sed corde servare licet”; jussu SS. D. N. Pii IX Card. Patrizi 30 Aug. 1866 rescribit: „illos id muneris habere, ut plene perfecte absoluteque se subjiciant.” Imo hoc silentium, interiorius non assentiente intellectu, religiose servare perpetuo et constanter, repugnat, ut ipsa experientia nos edocet. Nonne post Vaticanam Synodus ex eo, quod expresse placita commemorata non damnaverat, rumor spargebatur in Belgio, quod, disciplinari illa decisione remota, libera iterum dabatur facultas non tantum sentiendi, sed quoque docendi publice. Cui iterum opinioni ut mederetur, necesse erat S. Sedi rescribere, priores decisiones in omnibus intactas esse relictas ab Oecumenici Concili decretis; quod per suas ad universum

clerum literas promulgandum esse curavit Belgii episcopatus.

Majorem vero molestiam creat illa altera sententia, quae docet „falsum esse auctoritatem, propter quam debeatur *assensus intellectus*, solam esse auctoritatem Dei revelantis seu Ecclesiae vel Pontificis infallibiliter definientis (Franzelin op. cit. p. 117); sed existere etiam *assensum religiosum* propter auctoritatem providentiae ecclesiasticae, quando magisterium Ecclesiae agit auctoritate quidem pascendi sibi divinitus commissa, non tamen tota ejus intensione (si ita loquias est) nec ultimatum definiendo veritatem, sed quantum necessarium aut opportunum et sufficiens fuerit ad securitatem doctrinae.” p. 116.

Quamvis sic opinantes non negent in statuendis censuris infallibilitatem, facile tamen quisque videt, illa principia si admittantur, omnia nostra argumenta, quae ex exigentia intellectus consensus hauriuntur, multum infirmari, imo penitus e medio tolli. Distinctio enim illa, quae inter assensum absolutum et non prorsus absolutum et irreformabilem videtur statui a Doctore Ward, quid sibi velit ingenue me nescire fateor. Est enim assensus, quo se intellectus subjicit et se victimum praebet, vel non est revera assensus, sed tantum abstinet quis a suo judicio exterius manifestando, intime tamen suam opinionem ut veram reti-

nens vel saltem non de falsitate illius convictus. Est ergo assentire vel non assentire; sed simul assentiendi et non prorsus assentiendi conjunctio mihi quid absurdum sonat. Quaestio igitur nobis non est, an non exstet auctoritas, cui, quamvis fallibili, praecipere licet cuidam sibi subjecto etiam *in re intellectus*: sic enim, ut in omni re, imo potius quam in omni alia, obedire tenetur quis legitimae potestati. Ita non tantum Romanus Pontifex, sed et omnis in sua dioecesi Episcopus prohibere potest, ne quis aliquam doctrinam doceat, imo etiam de aliqua materia scribat vel iudicium suum proferat. Sed toto coelo hoc distat a potestate exigendi ab aliquo intimam suam convictionem mutare et praestare mentis obsequium, ita ut suam opinionem deponat et tam firma certitudine contrarium amplectatur, ut juramento se illi adhaerere profiteatur. Videamus ergo momenta, quibus se fundant illi qui hanc potestatem auctoritati fallibili adjudicant.

Franzelin l. c. suam doctrinam ab ipso Pontifice Pio IX. in literis 21 Dec. 1863 ad Arch. Monacensem clarissime expositam dicit: „Persuadere Nobis volumus noluisse obligationem, qua catholici magistri omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga

revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subjectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis Oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum hujusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universalis et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco ejusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subjiciant tum decisib; quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus

adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram."

S. Pontificis tamen literas a clarissimo Franzelin citatas rem convincere non puto, quam proponit contra omnium, quos novi, theologorum sententiam 1), quae cum Bellarmino jam citato dicit: „Iniquum esse sub tam gravi poena (anathematis) obligari ad assentendum rebus *incertis* et interdum falsis.” Quare Suarez l. c. recte inerrantiam in Canonizatione ex eo concludit: „Id enim sub praecisa obligatione praecipiunt Pontifices (nempe non dubitare an sit sanctus); ergo oportet, ut illi praecepto non possit subesse error.”

Certitudo enim illa non datur in rebus supernaturalibus nisi per infallibilitatem docentis. Bouix de Papa t. 2. p. 194: „Obligatio obsequendi Pontificiis definitionibus per *internam* etiam obedientiam seu per *internum* mentis assensum, nihil aliud est quam obligatio *credendi* catholicum esse quod catholicum defi-

1) Gallicanismi systematis sequaces, ut Jansenismi notam devitent, ita statuunt: „Etsi erronea esse possit Papae definitio, quamdiu non accessit Ecclesiae saltem dispersae consensus, ei tamen deberi statim ab omnibus fidelibus assensum et quidem sincerum et *internum*. Et mire torquentur, ut persuadeant, duo haec inter se non pugnare.” Bouix tract. de Papa p. 3. § 3. p. 257.

nivit summus Pontifex et haereticum quod ut tale proscripsit. Jamvero prorsus repugnaret ejusmodi obli-gatio , si Papa in definiendo errare posset. Nam quod velit Deus homines errori credere, atque hanc eis obligationem imponat, non absonum duntaxat sed impium plane ac blasphemum est. Ergo *nequit stare obligatio definitis a Papa credendi, seu (quod idem est) cum interno animi assensu adhaerendi, nisi Papa sit infallibilis.*" Quare idem auctor, cui Pius IX plurimum gratulatus est de ingenio et soliditate, op. c. p. 485 scribere non dubitat: „In hoc [cogendo Galileum ad abjurandam ex animo suam de terrae motu opinionem] mihi videtur dictum Tribunal [S. Inquisitionis] aliquid humani passum esse: suaे scilicet potestatis limites excessisse, et injustum exstitisse, non quidem ex pravo ullo affectu, sed ex errore. Enimvero dictam Galilei opinionem nondum infallibilis Ecclesiae auctoritas, i. e. Summus Pontifex ex Cathedra loquens, erroneam aut haereticam pronuntiaverat. Ipsa autem Inquisitionis Congregatio poterat quidem de ista opinione judicare, eique notas theologicas, quae justae viderentur, etiam haereseos inurere, et prohibere sub poenis, ne quis eam *externe* propugnaret. At hoc ipsis judicium, utpote cui nondum accesserat S. Pontificis ex Cathedra loquentis confirmatio , remanebat fallibile. Proinde, nec Galileus, nec quivis alias,

poterat juste adigi, ut *interne* et ex animo illi judicio adhaereret. Unde sacra Inquisitionis Congregatio, Galilaeum adigendo ut *corde sincero et fide non facta* opinionem de terrae motu abjuraret, idque antequam Cardinalium hac de re judicium confirmasset ex Cathedra loquens Summus Pontifex, potestatis suae limites excessit."

P. P. Rudis. *Petra Romana* p. 69: „Es wäre Despotie, die Gläubigen mit Censuren zur Annahme einer möglicherweise falschen Entscheidung zwingen zu wollen.” p. 239: „Ihr könnet nicht läugnen, dass die Päbste immerdar zweifellose Zustimmung zu ihren Glaubensentscheidungen, selbst unter Strafe des Bannes gefordert und sich somit praktisch immerdar Unfehlbarkeit zugesprochen haben.” Cfr. p. 260. n. 1. et p. 369. II. seq. „Eine wahre, zweifellose, innere Zustimmung kann ich aber nimmer denken ohne festen Glauben an die Unfehlbarkeit des Pabstes.”

Et quoque jam citatus Murray, ut vidimus, statuit tamquam „notam, qua facile dignosceretur, an Pontifex coactive doceat et agatur de infallibilitate Papae ut docentis — si apostolica auctoritate praecipiat hanc vel illam doctrinam ab omnibus tenendam.”

Ita et Knox, qui post verba a nobis supra laudata p. 107. 108 adjungere non dubitat: „Das hat Pius IX in dem Breve „*Tuas libenter*” ausgesprochen, das er an

den Erzbischof von München richtete'', et verbotenus ultimam partem reddit eorum, quae cum Franzelin exscripsimus. Illi quoque res non tam clarissime exposita.

„Die Vernunft, ita loquitur Weniger S. J. (Die Unfehlbarkeit des Pabstes p. 19) verlangt für die Be-glaubigung einer Wahrheit eine volkommen genügende Autorität.... In natürlicher Sphäre genügt der Vernunft das Zeugniß der Evidenz ihrer eigenen Denkkraft.... Um so mehr verlangt die Vernunft für die Garantie der Erkenntniß und des Bekennnisses der Wahrheit in Ordnung einer übernatürlichen Offen-barung, eine competente Lehrautorität, und zwar eine in Hinsicht auf das, was nur durch das Wort der Offen-bahrung uns mitgetheilt wird, von *unfehlbarem Lehransehen*.

Et Ward ipse initio haec principia statuit: „In qui-buscumque decretis Pontifex ad assensum interiorem et omnino absolutum praestandum obligat, decreto-rum illorum infallibilitatem in actu exercito docet et proponit. — In omnibus igitur illis definitio-nibus Pontifex infallibilis est, ad quas interiori ab-solutoque prorsus assensu tenendas fideles omnes obli-gari velit.” p. 17. Sed postquam ea principia postea applicat, invenit graves quosdam theologos *hodiernos* sententiam hanc non confirmare et igitur anceps haeret; nec quidquam de hac controversia asserere audet.

(p. 41.) cfr. etiam Suarez de Fide d. 5. Tournely de Ecclesia p. 3 et auctores passim de hac materia.

Ipsas literas nunc inspiciamus, in quibus tam clarissime eam rem docere videtur SS. D. N. Pius IX. Quid ait Pontifex? Non licet nobis *fidem divinam* coarctare ad fidei *dogmata definita* a Conciliis et Romanis Pontificibus; sed debemus et ea *credere*, quae ordinario Ecclesiae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur. Sed et hoc non sufficit, solum dogmata suscipere, nam praeter illam subjectionem, quae *fidei divinae actu* est praestanda, est et alia subjectio, qua ex conscientia omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates: idcirco haud satis est, ut *praefata dogmata* suscipiant, verum opus est, ut se subjiciant *tum* decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, *tum* iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur, ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones adversae, quamquam *non haereticae*, tamen aliam mereantur *censuram*.

Sed ut jam supra Suarezium vidimus docentem cum aliis, in his rebus etiam *infallibilem* esse Ecclesiam consentientem, et ipse Franzelin agnoscit, Pontificem in declarandis talibus judicium proferre ex Cathedra; quare nunc necesse est, ut admittamus hic sermonem

institui de subjectione *assensu religioso*, non vero de fide *mediate*, uti vocant, *divina*? Nonne concludere prae-stat, Pontificem loqui „de decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis congregationibus proferuntur”, quae Pontificis confirmationem expresse et verbis conceptis p[ro]ae se ferunt; quae proinde, quamvis non dogma ut revelatum definientes, attamen ipsius Pontificis decisiones infallibles habendae sunt. Id enim cum Bouix (de Curia Rom. p. 480) multi docent Auctores, imo jam Cardenas op. cit. cap. IV. propugnat: „Dis cursus, ait, aliquorum Theologorum, quod Pontifex non loquitur ex Cathedra, quando per S. Congregationes Cardinalium prohibet aut condemnat librum et doctrinam, caret omni probabilitate et est manifeste falsa.” Tunc enim loquitur Romanus Pontifex ut Caput Ecclesiae, quando edit decretum per Congregationem quemdam pro tota Ecclesia, quodque vult ab omnibus fidelibus observari; patet e. g. ex proemio Innoc. XI „Ovium sibi a Deo creditarum saluti incumbens”, et deinde de caeteris oblatis propositionibus censuram vel notam apponere, „donec a. s. *Sede* recognitae super eisdem *judicium* proferatur” vetat. Hoc igitur decretum S. Congr. vocatur *judicium S. Sedis!* Et ex nostris temporibus multa decreta Congregationum proferri possunt, quae deinde Pontifices sua auctoritate sancita, suoque jussu vulgata, ideo rem penitus dirimentia testati sunt.

(cfr. Pii IX epist. 15 Jun. 1857 ad Arch. Colonensem). Imo an existant ejusmodi declarationes non infallibilis rem esse dubiam testatur ipse Ward.

Quare illis rationibus, sed paeprimis ex ipsa contexta oratione, cum Summus Pontifex exigit tum illis decisionibus, tum doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur, ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones adversae theologicam mereantur censuram, *eandem subjectionem*; nos concludimus, Pontificem solummodo agere de illis decretis, quae suo nomine promulgata, ut suas definitiones ex cathedra profectas, assensu absolute quemcumque catholicum venerari oportet. Et sic omnia recte procedunt: 1º. *Dogmata* definita non solum, sed etiam quae ordinario magisterio docentur, fide divina credenda sunt. 2º. Veritates fidei attingentes, licet non dogmata stricte dicta, tamen amplectendae sunt, sive definitae *per Romanas Congregationes a R. P.*, sive communi consensu retentae. Quod et scopum esse Pontificis ex tota epistola patet: „Cum nonnulli in asserenda fallaci et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites, quos praetergredi non sinit obedientia debita erga Magisterium Ecclesiae *ad totius revelatae veritatis integratatem servandam divinitus institutum*. Ex quo evenit, ut hujusmodi . . . iis saepe consentiant, qui contra hujus *Apostolicae Sedis ac Nostrarum Congre-*

gationum decreta declamant.... Etiam falsa opinione (adversus veterem scholam) Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot contingentia saecula permisit, ut.... ex principiis communis omnium Catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoletur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum.... vehementer commendavit."

Quae cum ita sint, Pontifex intendit loqui de subjectione intellectus quoad assensum intimum. Si quis enim putaret id etiam clare non exprimi, cum loquitur Pontifex „de subjectione qua ex conscientia obstringuntur omnes catholici, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas *suis scriptis* Ecclesiae afferant utilitates”, proindeque agi, ut se subjiciant decisioibus, ita ut non contraria doceant vel publice propugnant, redargutionis arma sibi ademit, qui, relictæ contexta oratione, quam proposui, verba seorsum sumserit. Nulla ergo, ut mihi videtur, ratio existit, quare confugiamus ad illam satis obscuram notionem Divinae Providentiae Universalis, quae „velut extensive non vero intensive, si ita loqui fas esset, veritatem definiret, posset aliquo modo a S. Pontifice delegari, imo ut *singularis* cuique Episcopo suppeteret, in foro interno et in ordine ad directionem animarum

suo modo Directoribus animarum. Quod exemplum sicut universim consilium evangelicum obedientiae non modo voluntatis sed etiam intellectus magis obvium esset ad declarandum modum, quo infallibilitas praeципientis conditio necessaria non sit, ut subjectio et obedientia intellectus praestari queat." Rem enim si bene intelligam, revera consequentias aperte tradit: Si non solummodo teneor assensum mentis praestare auctoritati infallibili, sed et fallibili et reformabili Providentiae sic dictae, id non solummodo exigere potest Romanus Pontifex per suas Congregationes, quamvis non loquens ex Cathedra, sed et singuli Episcopi, in quorum diocesibus commoror, hoc sibi jure vindicare possunt. Imo cuique confessario, licet non sit judex opinionum, ut ajunt theologi, sed tantum dispositio-nis, mihi mutare meam sententiam injungere licebit: quo fieri potest, ut quavis vice, qua mihi loci vel confessarii vel superioris mutatio contingat, forsitan et opinionis cujusdam mutatio necesse sit.

Ward, quamvis alio loco anceps haereat, „ineluctabile" contra nostram sententiam argumentum ab Ecclesiae auctoritate sumit. „Ecclesia, ait, falli non potest in iis, quae ad fidem moresque spectant. Ecclesia autem illos semper impense laudat qui Congregationum Romanarum decretis intellectum subjiciunt, eos vero reprobat qui id facere recusat. Hoc autem fieri non

potuit nisi decretis illis subjectio intellectus vere debetur."

Ex jam dictis quo vitio laboret argumentatio Wardii, sponte patet. Suum argumentum totum et nostrum si facimus; quid contra nostram sententiam eruere exinde poterit ille auctor, qui et ipse, an existent ejusmodi declarationes, quae non sint stricte infallibiles, rem dubiam vocat?

Sed pergit ille Doctor, nostrum principium impugnando: „Non raro objicitur, quod propositioni nulli firmus assensus deberi possit, nisi quae vel per argumenta evidentia demonstretur, vel infallibiliter declaretur. Rem autem revera non ita se habere, ex multis patet exemplis.

1º. Titius v. g. in non paucis actionibus, iisque solis mihi cognoscibilibus, se exhibet virum bonum, quamvis sit pessimus. Firme existimare teneor, eum revera esse bonum, et ita quidem teneor, ut graviter peccarem, si eum pro viro pravo haberem. 2. Religiosum intellectum suum superioris judicio firmiter subjicere, res est testante S. Ignatio — non culpa sed summa laude digna. 3. Rusticus, quem parochus res fidei et morum edocet, omnibus iis, quae parochus tamquam certa proponit, firmiter assentire tenetur. Et mille alia similia suppetunt exempla."

Sed ad primum exemplum recte responderi posse

videtur, quod auctor certitudinem directam cum reflexa, uti vocant, satis aperte confundit. Titius enim utrum sit vir bonus an pessimus, soli Deo, qui scrutator est rerum et cordium, cognitum est et nulla invenitur in terra auctoritas, quae de hac re judicium infallibiliter certum proferre potest. Ecclesia ipsa, cum aliquem ut haereticum anathematizandum compellit, agit tantummodo de eo, ut scriptis et verbis se exhibet, et in hoc facto dogmatico dijudicando infallibilitatis dono gaudet: de intima ejus mente perscrutanda si agatur judicium, relinquit judicibus, secundum humanam certitudinem jus dicentibus. Quis enim e. g. Originem, ex eo quod ei ut haeretico anathema dictum sit, non posse sine fidei violatae criminis a pertinaciae culpa defendi dicet, quum multi id faciunt et praestantissimi theologi? Quum ergo nullus prae sumitur malus nisi probetur, christiana caritas me judicium temerarium prohibet, et si de eo inquisitionem fieri necesse est, secundum bonam praeumptionem de eo jus dicendum, ita ut etiam innocens declaretur, quamdiu *probabiliora* tantum et non *certa* contra eum pugnant testimonia. 1) Sed quis in humanis rebus per

1) Thom. II. 2. q. 60. a. 4^o. „Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem interpretando, quod dubium est.” Et ib. ad 2

principia reflexa efformatum judicium, ad practice hic et nunc agendum, directam parere certitudinem et omnem proinde de re ipsa tolli disputationem affirmat? Exemplum ergo illud magis nostram rem confirmat quam infirmam reddit, nam ex eo ipso, quod ubi res certitudinem directam non patitur, principia reflexa adhibeantur necesse est, videmus etiam in rebus naturalibus requirere intellectum, ut se subjiciat, certa et firma argumenta.

2. Sed et alterum argumentum majorem vim habere ego non existimo. Agitur enim non de eo, quod forsitan majori laude dignum, sed quod necessario faciendum et summo jure ab Ecclesia exigendum est. Nec enim hic inquiritur quid aliquis privatus homo in sua opinione facere posset, qui auctoritate fretus suorum superiorum, a Deo sibi constitutorum, faceret meritorie: ego enim sic illud etiam latius quoque extendere volo, non tantum superiorum sed etiam aliorum, praestantia intellectus et doctrinae conspicuorum virorum magisterium reveritus. Quis enim non illum discipulum stul-

animadvertis: „Aliud est judicare de *rebus*, et aliud de *hominibus*. In *judicio*, quo de *rebus* judicamus... unusquisque debet niti ad hoc, quod de *rebus* judicet, secundum quod sunt. Sed in *judicio*, quo judicamus de *hominibus*... ad hoc potius tendere debemus, quod hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium apparet.”

tum haberet, qui magistrorum suorum verba nihili pendens, non facile eorum auctoritate permoveretur. Ageret nempe contra ipsius rectae rationis principia, quae docent nos non tantum per propriae rationis exercitium, sed praeprimis, aliis docentibus, scientiam acquiri. Sed si rei intimam causam perscrutamur, invenimus quod et sanctus Doctor Alphonsus tam scite animadvertisit 1), omnem auctoritatem supponere rationem convincentem, cum non facile sine illa doctores aliquid asserere solent 2).

Quare is, qui de seipso has omnes discutere non valet, recte iis adhaeret, quos sine convincente ratione non loqui et ipse convictus est. Sic et ipsa extrinseca auctoritas evidens argumentum suppeditat, prout humana postulat finita indoles. Ipse ergo citatus locus S. Ignatii sic intelligendus videtur, ut in rebus controversis, praesertim si ad praxin deducantur, judicium superiorum judicio privati praevaleat:

1) Lib. 1. tract. 1. obj. V. p. 62 seq. ed. cit. „Auctoritas enim extrinseca non aliud operatur, quam afferre vis intrinsecæ præsumptionem.” etc.

2) Melchior Canus loc. theolog. l. VIII. c. 3: „Auctoritas, sive paucorum sive plurium, certa argumenta non suppeditat: sed tantum pollet, quantum ratio naturae consentanea persuaserit.”

hoc enim et humilitas suadet et rectus ordo postulat et ratio ipsa confirmat. Sed nimis extensus apertam falsitatem contineret; quid enim si superior, etiam bona fide agens, aperte falsum et illicitum exigeret, numquid in hoc casu suum intellectum religiosum subjicere, non culpa sed summa laude dignum foret? Et etiamsi non esset illicitum; est ne tamen viri sanae mentis rursus suum assensum mutare, solummodo quia forsitan et alius superior rursus contrarium judicium haberet? Sed ex omnibus patet de re toto genere diversa agi: in nostra sententia quaestio est, an viri sapientes, pro sua opinione, ut putant, evidentissima argumenta habentes, vel saltem oppositis praeponderantia, assensum suum interius mutare cogendi sint, nisi in naturalibus invicta ratione, in supernaturalibus infallibili magisterio divinitus constituto, erroris arguantur: „quod haec et similia licet *mille* non demonstrant exempla.”

3. At vero ex illis jam ruit objectio, tertio loco proposita: rustico enim, per se non capaci disquirere credibilitatis motiva, argumentum certum et evidens est parochi sui testimonium, nisi velimus dicere (quod nefas) inurbanum et inexcultum non credere, uti oportet, rationabili obsequio. Jam Suarez suo de more solide tractat similem quaestionem disp. V. de Fide sect. 1. cuius breviter resumere volumus doctrinam. „Utrum, quaerit, proxime fidem proponens infallibilis

auctoritatis aut veritatis esse debeat. Videtur pars negativa per se manifesta, nam hic proxime proponens solet esse privatus homo, seu doctor, qui non habet majorem auctoritatem quam humanam: et non habet permissionem divinam, quod veritatem infallibiliter assequatur vel aliis tradat, ergo non est, unde habeat infallibilem auctoritatem." Deinde multis suam objectionem firmat.

Sed: „2°. In contrarium vero est, quia ea, quae docentur a proximo fidei praedicatore accipienda sunt tamquam certa et infallibilia: ergo necesse est ut credamus illum non posse mentiri in his, quae affirmat: nam si hoc posset de illo existimari vel in dubium revocari, consequenter dubitari posset de veritate doctrinae ab eo traditae, et ita jam non haberetur certa et infallibilis: ergo necesse est, ut is, qui proxime fidem proponit, sit apud credentes infallibilis auctoritatis, nam haec auctoritas solum in hoc consistit, quod is qui loquitur, mentiri non possit nec falsum dicere." Et rationibus aliis confirmat, ex eo quod proponens fidem, obligat ad credendum fide infusa, id quod proponit, et alias falsa doctrina posset aequaliter proponi ac vera. Ergo oportet ut ille aliquo modo participet infallibilem auctoritatem in dicendo. Deinde resolvit dicens: „Duabus modis posse intelligi esse infallibilem auctoritatem in proponente, uno modo permanenter, alio modo solum actualiter, quantum

ad certitudinem illius doctrinae, quam sufficienter proponit, ut a Deo traditam vel ut definitam ab habente auctoritatem.

Dicendum ergo est: non habere auctoriatatem priori modo, hoc enim convincunt priora argumenta, *sed necessarium esse, ut proponens credatur esse infallibilis auctoritatis seu veritatis actualis in eo quod dicit.* Hanc assertionem probant rationes factae secundo loco, quarum summa est, dictum et dicentem esse inter se necessario connexa, ita ut non possit res dicta existimari infallibiliter vera, quin ipse dicens credatur non posse fallere in eo, quod sic dicit. Neque contra hoc vigent priora argumenta, nam solum probant, talem personam ex se non habere hujusmodi auctoritatem, sed habere illam ex omnibus requisitis ad sufficientem propositionem fidei, cum qua credimus esse conjunctam talem Dei Providentiam, ut non permittat sub ejus auctoritate ita proponi quod revera ab Ipso revelatum non est." Et no. 5. ampliorem dat explicationem: „Duobus modis valet quis proponere rem credendam. Primo tamquam immediate revelatum, et tunc necesse est, ut aliquo miraculo, vel signo divino suam revelationem confirmet. Alio modo proponit aliquis fidem tamquam aliis revelatam, et tunc necesse est, ut illam confirmet aliqua infallibili regula fidei, immo illam regulam applicet cum morali evidentia et

certitudine, et ita imprimis necesse est, ut quod proponitur non sit contrarium antiquae fidei, deinde ut publice et in conspectu Ecclesiae proponatur sine ulla contradictione et cum sufficienti attestatione pastorum ejus: si autem haec concurrant, non poterit esse falsum id quod proponitur. Quod si aliquando videtur proponi ita, quod falsum est, solum est ex ignorantia et inadvertentia, auditorum in re tamen ipsa nunquam erit sufficiens propositio." Ergo ex dictis Suarezii recte ad objectionem respondimus: Rusticus ille suo Parocho, res fidei et morum tradenti, tenet firmiter assentire, quatenus ipsi compertum est evidentia et certitudine, Pastorem suum cohaerere Episcopo, et Episcopum Romano Pontifici et toti Ecclesiae, (quae est evidens sui ipsius argumentum), in iis quae publice et in conspectu Ecclesiae, nullo contradicente, docet: sed non in omnibus et omnino ei credere tenetur, imo revera non crebet, cum ab his deficeret Parochus. Nonne et rusticus, licet in speculativis et abstractis quaestionibus, quarum ideas non assequitur, tacitus forsitan audit, non intelligens quae dicuntur, si in dogmatibus explicite creditis aberraret, v. g. in numero sacramentorum etc., summa voce reclamaret, suum Parochum a doctrina Ecclesiae recessisse conquerens? Et etiam in speculativis aberrare non potuit formaliter; Parocho enim assentitur, ut auctoritatem habenti mis-

sione Ecclesiae et ideo per fidem suam in Ecclesiae doctrinam , eo ipso , implicite saltem , assensum in falso ei tradita excluderet 1).

Sed: „In Ecclesia Romana exstat irreformabile magisterium et congregations in plena traditionis luce versantur. Igitur Catholicus insanire videretur , qui harum judicium judicio suo non fidentissime ante poneret.”

Haec ultima Wardii argumentatio certe nos premeret, si auctoritas Congregationum negaretur in nostra sententia , sed ut ipse fatetur , valde dubium an de doctrina decisiones a SS. Congregationibus sua tantum auctoritate edantur et annon potius dicendae sint a Summo Pontifice per Congregationem datae. 2) Et dato

1) Cfr. et Knox op cit. p. 111.

2) Audiatur quoque in hac re testimonium gravissimi temporis nostri theologi , Murray l. c. p. 246: „Tenentur, ait, Pontifices , ante editam definitionem seu decretum de qualitate alieujus propositionis vel libri , debitam diligentiam adhibere. · Eo fine institutae sunt variae Congregations Romanae , ut in hoc et in aliis negotiis gravissimis expediendis Pontifici adjutorio essent; hae autem Congregations Consultores habent doctos theologos et alios in rebus sacris peritos. Res ab his omnibus mature perpensa cum eorumdem sententiis *ad Pontificem defertur* , ut ipse ex plena et certa scientia quid sit agendum supremo suo judicio definiat. In celebri constitutione: „*Solicita ac provida*”, cuius argumentum est: „Methodus in examine

uno vel altero decreto a sola Congregatione quadam sine Pontificis confirmatione profecto; alia quaestio est, an quis earum auctoritatem reveritus illud suo judicio non anteponeret; alia, an illae Congregationes obstringere possint ad sua decreta suscipienda intimo animi assensu. Quisque enim cuius testimonium non facile rejicitur, ideo non habet, quo me ad mentis obsequium sine haesitatione obstringat. Sed praeterea ratio traditionis romanae, in cuius luce versantur, nimis urgeri nequit, tunc enim et ad Universitates et Collegia quaeque romana extendere id licet. 1) Si vero authenticum

et proscriptione librorum servanda" haec de se habet Benedictus XIV: — „Ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi auditio Congregationis Secretario, qui libri materiem, Revisorum censuras, Cardinalium judicia ac suffragia accurate nobis exponeret." Non majore jure decreta Indicis sunt decretata theologorum Romanorum, quam canones et decretata Concilii Tridentini theologorum sunt, qui in iis conficiendis tantam operam navarunt."

- 1) Licet hic, ut aliquorum argumentandi modus ex traditione romana, quid valeat, intelligitur, notam exscribere quam habet cl. Perrone t. 2. p. 464 ad illud: „Sententia nunc temporis communis et omnino tenenda est, episcopatum et ordinem esse specie distinctum a Presbyteratu et Sacramentum." Post numerum et pondus auctorum contrariae sententiae: „In hoc

SS. Congregationum testimonium ut discriminem ponitur; nihil nobis nocet: nam certi sumus in ea sententia, quod si traditionis Romanae Ecclesiae habetur apertum per talem decisionem testimonium, tunc toto animi consensu id amplectandum esse; sed tunc non praestatur mentis obsequium propter auctoritatem proprie testantis, sed propter infallibilitatem Ecclesiae, cuius doctrina tali testimonio innotescit, non secus ac rustico illi per parochum suum fiebat.

Sed „auctoritatem illis commisit Pontifex tamquam Ecclesiae Gubernator Doctrinalis, fideles omnes in via sanae doctrinae dirigendi. Peccaret igitur contra debitam obedientiam, qui earumdem decisionibus non praestaret firmum assensum.”

Jam supra quid nobis videtur de distinctione illa in Pontifice Doctoris Universalis Ecclesiae, et Gubernatoris Doctrinalis Ecclesiae diximus. Hic tantum hoc unum sufficit animadvertere, quam natae sint tales

etiam et nostro Collegio Romano paulo ante societatis extinc-
tionem eadem [negativa] sententia publice propugnabatur, ut
constat ex thesibus per id temporis evulgatis; adhuc astruitur
in thesibus circa quas examen instituitur iis qui cooptari cu-
piunt in collegium S. Bonav. in Urbe FF. Ord. Min. Conv,
denuo recusis a. 1833.. Attamen nedum probabilis haec sen-
tentia censetur, sed jam a nonnullis censura notatur.”

distinctiones infallibilem Pontificis auctoritatem in concreto inanem reddere, et ansam praebere in particuliari aliquo decreto decisionis infallibilitatem negandi: quam facile enim tortuosas excogitant ratiocinationes homines a Sede Apostolica damnati, saeculi cuiusque experientia novimus: et quibus indicis constare potest, Pontificem ut infallibilem Ecclesiae Doctorem, non vero ut Gubernatorem tantum fallibilem Doctrinalem, sententiam pronuntiasse, „nisi forsitan receptione et sensu Ecclesiae?” cfr. Ward. p. 26. „*Alicujus* momenti est, ut sciamus quaenam tanquam infallibiles habendae sint. Hanc quaestionem non satis elucidaverunt theologi; vel de ea expendenda non satis *cogitaverunt*: et p. 27: „In controversia Monothelitica Honorius Epistolas suas ad Sergium scripsit tanquam Ecclesiae Gubernator Doctrinalis.” Ergo Sophronius et catholicae veritatis defensores peccaverunt non praestando firmum assensum?! Tali modo perniciosum Gallicanismi sistema caput abscissum iterum extollere posset.

Sed quoque illud de commissione Pontificiae auctoritatis *fideles omnes* in via doctrinae dirigendi, nimis generaliter dictum est.

Cardinalis Gotti, t. 1. tract. 1. q. 3. d. 9 n^o. 11, qui narrat Congregationum originem, deinde dicit: „Decreta Congregationum in materia fidei et morum ex se et ut a Congregatione ipsa prodeunt, multi

quidem sunt facienda, sed non praebent theologo firum argumentum." Explicat illud *ex se*, et illud, „*multi quidem sunt facienda*: si abest specialis Pontificis confirmatio, omnes *in foro externo* obedire tenentur, non obstante quacumque opinionum probabilitate." Quod deinde probat ex bulla Sixti V de institutione earumdem Congregationum, quae incipit: „*Immensa*," in qua habetur: „Cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet Generalia Concilia interpretari... Eorumdem decretorum, quae ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsis reservamus; Cardinalibus vero..." „Ex quibus, concludit Gotti, constat Sextum non dedisse facultatem Cardinalibus decidendi dubia in materia fidei." Haec de Concilii Tridentini interpretibus; sed et de S. Inquis. et Indicis Congregationibus agit. „Quae quidem, ait, habent a Summo Pontifice auctoritatem *practicam* interdicendi libros, non autem *illos condemnandi*, nisi contineant doctrinam, jam ab Ecclesia proscriptam." Deinde veniens ad Rotam, n°. 13 dicit n°. 14 septimo: „Sacrae Rotae decisiones non ex se excedere terminos probabilitatis," quod invicte probat esse communem sententiam, inter alios autores et ipsum Cardinalem Auditorem allegans Alexandrum, qui dicit: „Decisiones nostrae non sunt jura et ideo possunt reprobari."

Sed praeterea si omnia, in contrario nobis argu-
mento dicta, admissa fuerint, conclusionem, piae-
standum esse assensum, non deducere queo, nisi jam
probatum mihi constet, (quod est controversa quaes-
tio) quod sine peccato non potest dissentire, sed suum
intellectum quis subjicere debet etiam auctoritati fal-
libili; quod propter rationes allatas recte negari con-
cludimus.

Jamjam haec scripta erant, cum liber inscriptus:
Handbuch der Kath. Dogmatik, auctore Dr. Scheeben,
typis venit. Ille sequens Franzelin, quem solum
allegat, illius doctrinam sic mitigavit: Doctrinalia
Congregationum decreta, non formaliter et plenarie
confirmata, infallibilia quidem non sunt, attamen tan-
tam prae se ferunt, veritatis praeumptionem, ut
saltem pro tempore, quo data sunt, internum obse-
quium et consensus iis debitus (geforderte) sine
dubio reddi possint ac debeant. Et sequentibus id probat
argumentis: a) Vix unquam postea, nunquam tem-
pore, quo data sunt, inveniebatur in iis error apertus
(nachweisbar). b) Prudens agendi ratio earum Congre-
gationum et viri praestantes, quibus constant, tutos
nos reddunt. c) Decreta illa sunt testimonium mora-
liter certum traditionis Romanae Ecclesiae. d) Decreta
illa propter magnam pro tota Ecclesia utilitatem et
suam intimam connexionem cum Papa, ex cuius gene-

rali delegatione et cujus auctoritate et inspectione eduntur, speciali modo participant supernaturalem de S. Sede providentiam.

Ad haec jam in praecedentibus satisfecisse nos putamus, tamen ad novo modo prolatâ aliquid animadvertisendum ducimus. Inprimis ille consensus ad tempus inintelligilibis mihi videtur. Si enim praestatur obsequium mentis et quidem sub peccato praestari debet, peccatum foret et minima dubitatio non solum et mihi, sed omni per Baptismum Ecclesiam ingresso nunc et sequenti tempore. Testimonium enim esset moraliter certum traditionis Rom. Ecclesiae, ex auctoritate ipsius Romani Pontificis. Sed quomodo si omnis et dubitatio exclusa est, res, quae nunc maximam pro se habet veri speciem (potius certitudinem) postea falsa probatur? Sed auctor tantummodo veritatis praesumptionem illa decreta habere dicit; quomodo ex praesumptione, licet gravissima, exoritur certitudo?

Ad argumenta sic responderi posse puto:

a.) Vix unquam (kaum jemals, aliquando tamen) postea falsa probata sunt, nunquam vero tempore edicti; id probat possibilitatem erroris, nec illud, quod nunc demonstrari nequit falsum, ideo certum est praeprimis et illi, qui forsitan putat se id nunc facere posse; quod enim postea fieri potest, et nunc fieri nulla intrinseca impossibilitas vetat.

Neque illud in b) relatum certitudinem facit in rebus divinis, est enim tantum modo humana prudentia, neque doctrinalem excedit auctoritatem.

ad c) Jam abundantius supra respondimus.

ad d) Si Congregationes speciali modo Divinae Providentiae, qua S. Sedes gaudet, participes sint, ego specialius rogo, qualis illa sit? Non certe ea, qua Romanus Pontifex ut Doctor Universalis Ecclesiae infallibilis est. Sed et ipse Romanus Pontifex nunquam nisi talem agens personam, intimum obsequium praestare praecipit, quomodo id possunt inferiores aliquo modo illius providentialis curae comparticipes? Deinde cum et ipsi auctori, ea SS. Congr. decreta, quae „SS. suprema auctoritate confirmavit et promulgari mandavit,” Decreta sunt S. Sedis et infallibilia, et illud Indicis 15 Mart. 1616 de doctrina Copernicana solummodo disciplinare neque doctrinam ipsam reprobans; certo certius exemplum desideratur decreti cuiusdam *doctrinalis* sine illa approbatione plenaria et peremptoria Pontificis, qua infallibile et irreformabile decretum redditur, et quod tamen internum assensum sibi dari postulat, et proinde quoque (quod auctor asserit) decreti doctrinalis, quod postea falsum continere convictum est. Caeterum hanc controversiam ipsius auctoris verbis terminamus: Ista tribunalia (Congregationum et Synodorum particularium) id habent commune: dass

sie an sich nicht souverän sind, dass *folglich* auch ihre Urtheile an sich mehr einen *lehrpolizeilichen* als gesetzlichen Charakter haben, daher zunächst und unbedingt, vor der etwaigen suspension oder correction derselben, nur zum äusseren Gehorsam verbinden und nur durch päpstliche Bestätigung ganz perfekt werden können." cfr. quoque S. 196. n°. 138. Et recte, nam *is est primus et principalis dogmatici Ecclesiae judicii character*, aliorum omnium fons, radix et origo et quo discrepat essentialiter a lege disciplinae (Lehrpolizei), quae solum importat silentium et non usum propositionis, quod est *regula assensus interni*, veritates intus et ex animo credendas, aut errores proscribendos proponens; proinde est 2º. *irreformabile* nec mutationi obnoxium; sicut, enim teste apostolo, Eph. IV. *una fides* et immutabilis; ita et, *fatenibus omnibus* judicium dogmaticum quod versatur circa veritates revelatas aut cum iis certo et indivulse connexas, irreformabile esse debet et prorsus immutabile. 3. *Universale est*. Scilicet ubi semel latum est dogmaticum Ecclesiae judicium, omnia perinde respicit loca, tempora, omnes obligat ubique sparsos fideles: hinc celebre illud Vincentii Lerinensis pronuntiatum: „quod ab omnibus, quod semper, quod ubique." cfr. Tournely de Cens. ap. p. 175 ed. cit. et seq. quoque: Quodnam sit discriminem judicium dogmaticum inter et legem disciplinam.

C A P U T V.

**De malitia eorum qui propositionibus censura infra
haeresim dignis adhaerent.**

Auctores fere omnes, hoc argumentum tractantes sub hoc titulo concludere amant: quod et me facere juvat, cum res practico non caret momento et prae-primis inde melius plurium auctorum mens innotescit, qui alias sibi contradicere forsitan videbantur. Id enim ante omnia p[ro]ae oculis habendum, an de propositione damnabili an de damnata sermo sit, et a quamnam auctoritate damnatio processerit. Duplex enim existit *mere doctrinalis* et *authentica seu judicialis*. (Videsis Der Katholik 1869. I. Die Theol. Censuren. Scheeben).

Priori modo prolat[us]a valet illa censura, ut patet,

in quantum ferens gaudet ingenio et doctrina et rationes profert convincentes, ita ut judicium unius vel alterius caeterorum consensu comprobetur 1). Imo et in hoc ultimo proprio nota seu censura constituitur, quod universaliter et publice doctrinae euidam inuiritur: et nemo judicium illud sequi cogendus, nisi in quantum universalis confirmetur consensu intellectus catholici. Sed propria et vera censura est illa authentica et judicialis, maxime si ab supremo Ecclesiae magisterio fertur.

Sed cum hic generaliter agatur de malitia adhaerendi propositionibus censura dignis, primo res consideranda est ante omne judicium. Nam quod non

1) Hic non sine utilitate animadversionem aliquam ex opere: Die kirchliche Lehrgewalt. Scheeman, ponere possumus.

„Will die Kirche eine nicht gerade häretische Meinung irgend eines Gelehrten verwerfen, so heisst es, man müsse es der Wissenschaft überlassen, wissenschaftliche Irrthümer zu verbessern. Wollen nun aber wirklich andere Gelehrte solche Meinungen an der Norm des Glaubens prüfen, so schreit man über Verketzerungssucht und behauptet, nicht ein privater Gelehrte, sondern nur die Kirche habe das Recht theologische Censuren über Meinungen aus zu sprechen.“

De Universitatim vero in hac re jure et usu cfr. Gautier. Prodr. ad Theol. Dog. Schol. Col. 1756. Diss. 2. cap. 3. a. 2. n. 75 et seq. p. 149.

erronee nec temerarie opinari sine peccato licet, quamvis nondum judicium intervenerit, argumentatione non indiget; quare et semper Concilia et Pontifices id punivere, si aderat pertinacia. Nam „et in hoc peccato necessaria aliqua pertinacia, non contra definitiōnem vel infallibilem auctoritatem Ecclesiae, nam hic error illi non opponitur, [definitio enim illa nondum adest] sed vel contra Doctores omnes vel Patres, vel contra principia Fidei saltem mediate vel remote, vel aliquid hujusmodi, quando enim aliquis sciens propositionem esse tali auctoritati contrariam, se illi audet opponere tunc hoc genus peccati committit.” (Suarez d. 19. s. 6. n. 2).

Quale vero peccatum constituit talis error? Suarez putat hoc peccatum ne reductive quidem ad fidem pertinere, in quam sententiam forsitan inductus est, quia habitum theologiae adaequate distinctum ab habitu fidei supponit 1). Sed peccatum illud ad intemperan-

1) Controversia enim est an habitus, quo creduntur principia Fidei, et ille quo creduntur ea quae ex illis derivantur, e. g. conclusiones theologicae, sint habitus diversi. Affirmant non pauci innixi auctoritate S. Thomae 1. p. q. 1. a 1. et 2. Libentius Seoto adhaereo, qui id negat, sic tamen ut in credendo conclusionem theologicam concurrere cum habitu fidei et rationem intelligam: ideo Lugo vult (de fide d. 1.

tiam reducit sciendi , juxta illud apostoli : „Nolite alte sapere sed sapere usque ad sobrietatem.”

Recte vero de Lugo animadvertisit , id non semper verum esse , cum non raro damnabiles sunt propositiones propter usum vocum aequivocarum , in qua re ergo non est intemperantia in sciendo sed abusus in voce. Et melius dicit : „Diversimode peccari posse in hac re : quibusdam propositionibus adhaerendo contra fidem , saltem ob periculum fidei ; alias vero tenendo contra alias virtutes , quae in illa propositione laeduntur.” Sic enim plures contra justitiam , castitatem etc. inveniuntur. Species peccati ergo dependet a specie malitia , qua propositio damnabilis est.

Quid vero si propositio non sit tantum damnabilis sed revera damnata ?

Inprimis , ut patet , adest tunc *Inobedientia* , quae in re maxime gravi , si se exterius prodit , per Pontifices gravissimis poenis et excommunicatione plectitur. An vero haereticus , erroneus , temerarius dicendus sit , discrepant ut vidimus , auctores. Unus enim eam notam , alius alteram statuit. Ad illam dissensionem duae mihi videntur adesse rationes : prima et praecipua est , quod multi loquuntur de eo , qui negat infalli-

s. 13 § 6) habitum illum non adaequate sed inadaequate diversum dicere : sic tamen voce non re a Scoto differre videtur.

bilitatem in censuris, multi e contra de eo, qui, licet credat infallibilitatem in censuris, tenet tamen propositionem damnatam. Et deinde quia in ipsa definitione notae assignatae non idem sentiunt.

Id de hac re statui posse videtur :

1. Ille qui agnoscens infallibilitatem in censuris, tenet tamen scienter propositionem damnatam, obnoxius est illius notae, qua damnata est propositio, quae si est temeraria, ille est temerarius. Caeterum peccat quoque ea peccati specie, qua damnabilis est, e. g. qui saepius modicum quid comedit in die jejunii, frangit jejunium, (cfr. Alex. VII. prop. damn. 29) si in praxin dederit. Per se patet alia peccata concurrere posse ut scandalum, injustitiam etc.

2. Ille vero, qui propositionem damnatam sua nota dignam credit, nihilominus tamen veram, certo certius, ut superius ostendi, in errore versatur. Eum tamen propositionis erroneae (ut Viva et alii) damnare in sensu theologico non facile mihi persuadeo. Certe enim sunt censurae, quarum idea directe falsitatem secum fert, ut haeretica, erronea, falsa. Sed pro caeteris multis, ut videmus, erat controversia. Quare melior videtur de hujus theses valore sententia Scheeben l. c. „Diese These ist nicht de fide, auch nicht in ihrer ganzen Ausdehnung so sicher Katholische Lehre, wie die Unfehlbarkeit der Censuren nach

ihrer formellen Seite, aber *wissenschaftlich unanfechtbar*.

3. Sed quid de eo qui negat infallibilitatem ipsam in ferendis censuris?

Multi superius jam laudati eum haereseos accusant, quasi nostra thesis de fide catholica esset. Id vero longius quam par est, videtur mihi progressum. Nam quamvis negare nolim, Ecclesiam sua praxi continua illam sententiam ut veram et tenendam supposuisse, id tamen ita docuisse, ut definitioni dogmatis aequiparandum sit, dicere non audeo. Sed forsitan nihil aliud volunt, quam id quod docet A. Murray, quum dicit illam sententiam objectivam haeresin 1).

1) Ne verbis haereamus interdum, sed quid auctores suis verbis velint, indagemus, operaे pretium est, responcionem referre, quam dedit Ferraris ad notam romani sui editoris, de formula adhibita: *de fide* est. In qua ipse exponit eam in traditis ab eo quoad infallibilitatem Pontificis etc ita intelligendam esse „ut adhuc tamen contrarium sentientes non essent haeretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad haeresim, sed parati sunt parere Ecclesiae definitioni.” Imo dicit se „quaestionem scholasticam, quam non ut certam sed tantum probabiliorem resolvit, vocare de fide.”

Kleutgen. Theol. der Vorzeit I b. p. 56: „Ebenso irrt Hermes, wenn er glaubt, die Ausdrücke dogma fidei und est

Sententia igitur negativa materialiter haeretica dici potest, quod ita repugnat communi fidelium sensui, fundato S. Scripturae et Traditionis testimoniis, ut revera Ecclesia eam solemni judicio anathematizare posset. Caeterum, si quis conclusionem theologicam non eo sensu acciperet, quo volunt plures illam nunquam de fide definiri posse, et ego illam sententiam, affirmantem in censuris theologicis Pontificis infallibilitatem, solummodo conclusionem theologicam vocare malo. Et sic cum de Lugo et aliis oppositam *erroneam* reproto, utpote contrariam propositioni ex una de fide et altera ex ratione evidente evidenter deductam. Fortitan melius fuisset, eam hucusque haeresi proximam et ad minimum erroneam dicere.


Nam et SS. D. N. Pius P. IX. (Quem Deus diu sospitem servet) in sua epistola „*Gravissimas inter*” sententiam, quae negat Ecclesiam ex potestate sibi a divino Auctore commissa non solum jus sed officium praesertim habere non tolerandi sed proscribendi ac damnandi *omnes* errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, omnino erroneam et ipsi

de fide würden von den Theologen nur gebraucht, um die durch die Entscheidung der Kirche festgestellten Glaubenssätze zu bezeichnen.”

fidei, Ecclesiae ejusque auctoritati vel maxime injuriosam edicit et declarat.

Caeterum, quanam mereatur inuri nota illa sententia, parum id interest eorum, qui ut veri catholici a veritate ne in minima parte deflectere cupiunt. Illi enim certe ne temerariam quidem sententiam sustinere volunt. Sed cum Summus Pontifex quid reprobaverit, captivum nostrum intellectum ducentes, ne plus sapiamus quam oportet sapere, sed usque ad sobrietatem, Deo Optimo Maximo Ejusque Filio Unigenito gratias agamus quam maximas, quod, Spiritu suo assistente, nobis dedit Doctorem, columnam et firmamentum Veritatis, cuius magisterium infallibile non scientiae progressus impedit, sed rationem ab erroribus liberat ac tuetur eamque multiplici cognitione instruit.

Quapropter tantum abest, ut Ecclesia quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet, falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (Col. II. 8), humanarum artium et disciplinae culturae ob sistat, ut hanc multis modis juvet ac promoveat (Vat. C. IV. de fide et ratione).



C O R R I G E N D A

P. 12, <i>reg.</i> II:	Eclesiam	<i>lege:</i> Ecclesiam
- 13, - penult.:	serutando	- scrutando
- 15, - 22:	oppositas	- oppositos
- 31, - 1:	aliquid	- aliquid
- 56, - penult.:	relecta	- relicta
- 61, - 18:	exoriantur	- exoriuntur
- 67, - 17:	pausissima	- paucissima
- 96, - 16:	improbabiles	- improbabiles"
- 112, - 5:	pro tali	- ut tale
- 152, - 8:	inadvertentia, auditorum -	inadvertentia auditorum,

6.7706

29.11.78.d



H.